

Nga. 10.

ARTIFICIUM ARTIS ABICH- TIANÆ,

h. e.

Defectus, errores & contradictiones Ar-
tis distincte legendi & interpretandi S. U. T. quam Tit.
J. G. ABICHTIUS, S. S. Theol. D. & S. L. Prof.
Publ. Ord. in Academia Lipsiensi edidit. Quæ dum detegun-
tur, multa Dicta S. Scripturæ secundum Accentus
resolvuntur & explicantur, quædam atiam
vindicantur,

Ad

Defensionem eorum, quæ ex Diacritica S.
impugnantur & Usu Studiosorum
Accentuationis,

Ut

SUPPLEMENTUM DIACRITICÆ S.

esse possit

Editum

5.

à

JOAN. FRANK, Meklenburg.

Impensis J. H. RUSWORMII, Bibliopolæ
Rostochiensis. 1713.

25

ARTIFICIUM

ARTIS ABICHI

ANAKITA

DEO VERO

ET

VERITATI

S.

SUPPLEMENTUM DIVINITATIS

JOHANNI RAMMI MELISSINOPOLI

IMPENSIS I. E. RIASWORUM. IMPAGOIS



JESU FELICITANTE.



S. I.

Scriptura omnibus merito mundi divitiis & deliciis præfertur, : Cum David tantus Rex illam, auro & melli præponat. Quod cum ita sit, omnia quoque, quæ ad ejus explicationem & illustrationem pertinent, jure nobis jucundissima sunt. In primis interpunktionem, sine qua certus sensus haberi nequit, maximi facere debemus. Cum itaque viderem, puncta, quæ Ebraeis ייְהָוֶה vocantur, hanc interpunktionem constituere, à puer illa diurna nocturnaque manu volvi & revolvi. Nec frustra operam aut tempus sumpsi. Multa reperi, quæ ad faciliorem hujus artis, quam hactenus difficultissimam judicavimus, perceptionem faciunt. Quia vero non nobis tantum, sed etiam proximo laborare debemus, ea, quæ observaveram, in publicum edere in animum induxi. Tot vero se difficultates objecerunt, ut facile inde colligerem, hunc laborem, quo proximo prodesse conabar, Diabolo odio esse. Tandem Rostochii bibliopolam inveni, qui sumptus in has chartas impendere promitteret. Sed cum ego Tractatum jam impressum esse putarem, MSC. nusquam apparebat, nec

A 2

in

in hunc usque diem, quo devenerit, certior fieri potui. Sic labor ille, quo me defunctum putabam, novus mihi surgebat. Quid facerem? Ex chartis, quas domi retinebam, Tractatum illum restitui, atque post multas molestias Lipsiæ inveni, qui illum suis sumptibus edere volebat. Deveni autem, nescio, quo fato, ad Tit. D. Abichtium OO. LL. PP. O. cui hunc Tractatum commendavi. Ille benignissimum se præbens multa de suo studio & auxilio promisit, ac ne in minimo quidem se à me dissentire ostendit, etiam si illi, quæ meæ hypotheses essent, & quo fundamento niterentur, explicarem, simulque Concordantias Accentuum, tanquam basin totius negotii monstrarem. Ego, ut Christianos decet, nihil mali suspicans, omnia in vado jam esse putavi. Verum enim vero, cum Tractatus impressus ad manus meas perveniret, ita illum affectum deprehendi, ut merito, quod ille apud Virgilium, ingeminarem:

*Eben! Quid volui misero miki? Floribus austrum,
Perditus & liquidis immisi fontibus apros!*

Nam mancum & mutillum in publicum emissum vidi. Præterea loco commendationis promissæ Dissertationem præfixerat, qua Lectores non tam allicerentur, quam deterrentur. Et quod maxime dolendum, eas in ea mihi ineptias affinxerat, quæ mihi ne somnianti quidem in mentem venerant. Nec hoc sufficere putas. Eodem anno, quo Diacritica S. edita, ipse quoque Artem distincte legendi S. U. T. edidit. Hanc cum viderem atque festinante oculo percurserem, facile vidi, quid sibi vellet. Per cuniculos Diacriticam S. evertere studet. Quædam ex illa desumpta approbat; pleraque vero rejicit, meisque thesibus contrarias ponit: Sed ea arte & cautione, ut nunquam Diacriticæ S. mentionem faciat. Nempe ut eo majori damno esset, juxta illud:

Sævior est tanto, quanto est occultior hostis.

Quam-

Quamvis vero firmiter mihi persuadeam , eruditiores , qui & Diacriticam S. & hanc Artes legendi legunt atque inter se conferunt , facile videre , quid de utroque Tractatu sit iudicandum , tamen , cum illi , qui minus periti sunt harum literarum , facile offendit & in errorem induci possint , faciendum esse putavi , ut artificium hujus artis detegerem . Idque eo magis necessarium videtur , quia hic quoque aliena mihi affinguntur & imputantur . Etsi vero D. A. interdum asperius meque aliosque accusat , Ego tamen brevitate & modestia , qua possum maxima , illi respondebo . Non bile percitus , nec alio malo affectu incensus ; sed solius veritatis amore ductus scribo . Vitio hoc mihi vertere nemo poterit . Innocentiam suam & divinam veritatem defendere , quis prohibeat ?

§. II. Ut Artificium artis abichtianæ rectius videamus , à Præfatione incipendum fuerit . Statim ab initio , quia veniret , ne plagii suspectus aut reus fiat , sribit , se exhibere regulas non ex aliis bandis , sed ex quotidiana Codicis Ebræi lectio ne per plures annos continuata observatas . Liceat hic dicere quod sentio . Ego in illa arte parum vel nihil novi aut proprii reperio . Quicquid hic veri & boni est , id omne jam ab aliis dictum . Ne falsa quidem omnia sibi soli vendicare potest , cum multos erroris ejus & duces & comites noverimus . Illud vero miror , quod omnia fere exempla hujus Artis etiam in Diacritica S. reperiantur . Si D. A. id postulaverit , monstrabo , qua pagina & quo in paragrapho exempla illa , paucis exceptis , deprehendantur . Qui fieri potuit , ut uterque eadem exempla & interdum etiam eodem ordine poneret ? Num idem Ejus & meus genius est , qui utriq; eadem exempla dictavit ? Cur non etiam easdem regulas & eundem sensum utrique semper dictavit ? Fortasse mea ex Arte legendi descripsi . Crederem , nisi Diacriticam natu majorem nossem . Sed de hoc nil amplius addo . Lectores ,

qui Diacriticam S. cum hac Arte conferunt, judices erunt.
 §. III. Agnoscit plerosque, qui hactenus de accentibus
 scripsierunt, Accentuum doctrinam distinxisse in regularem & ir-
 regularem. Causa, scribit, que eos impulit, ut duplē accentua-
 tionem statuerent, ex primo fundamento, quod supposuerunt, orta
 est, existimant enim, quod primas accentuum autor duas tantum
 voces dictamine grammatico connexas conjunxerit. R. Hoc nec
 à veritate alienum, nec abullo, qui quidem hanc artem re-
 te cognoverit, negabitur. Et qui posset? Cum singuli S.
 Codicis pauci exempla suggerant. Pergit: Cum vero multas
 voces eodem modo connexas, modo distinctas, modo conjunctas ob-
 servarent, ad aliam hypothesin configurerunt, docentes, quod servi
 frequenter loco distinctivorum & vice versa, hi loco illorum ponan-
 tur. R. Eadem diversio, & diversa eodem modo distingui,
 docet Diacritica S. simulque monstrat, quo fundamento
 distinctio nitatur. Quod vero dicit, nos propterea ad aliam
 hypothesin configere & statuere eam ob causam servos lo-
 co distinctivorum & hos loco illorum ponis, id prodit artis
 ignorantiam. Nam confundit diversissima, nempe distin-
 ctionem & interpunctionem. Distinctio suis nititur regulis,
 suis etiam interpunctio. Nec propterea, quia voces hoc vel
 illo modo distinguuntur, servi loco Dominorum aut contra
 ponuntur, nisi alia accedant, scilicet vocum singulis in locis
 occurrentium qualitas. Sed postquam distinctio facta, libe-
 rum relinquuntur interpongendi, utrum velit Dominos, an
 vero servos nonnullis in locis apponere. Et quia omnibus
 illis in locis, ubi plures servi se comitantur, distinctivi po-
 ni potuissent, & ordinarie debuissent, quis negare potest,
 servos loco Dominorum positos? Hoc qui negat, idem fa-
 cit, quod ille, qui ubi Rex vel Princeps non adest, Vicariis
 Consiliariis & officialibus jus dicentibus dicto audiens esse
 renuit, aut illos Rempubl. administrare negat. Sed con-
 sideremus verba ejus paulo accuratius. Dicit nos configere
 ad

ad aliam hypothesin. Cur hanc hypothesin de servis distincti-
guentibus vocat aliam? Num haec non est ipsa irregularis
interpunctio? Vid. Diacrit. S. 6.39. Quando ergo docemus
servos loco distinctiorum poni, non ad aliam hypothesin
configimus, sed priorem hypothesin de interpunctione ir-
regulari explicamus. Haec duo, ni fallor, diversissima sunt,
quae D.A. si rem de qua scribit, recte percepisset, nunquam
confudisset. Quid porro? Ex his fundamentis autoritate hu-
mana suppositis, haut pance nata sunt regule &c. R. Regulæ qui-
dem factæ sunt ab hominibus, non vero autoritate huma-
na, sed nituntur fundamento divino: Quia inductione exem-
plorum SSræ constant, quæ nemo bona conscientia in dubi-
um vocare potest.

§. IV. Non vero in Præfatione solum anomalias & irre-
gularem accentuationem oppugnat, sed etiam in ipso Tra-
ctatu. Nam Cap. I. §. XV. p. 17. sic scribit: *Hinc tanta vica-
riorum multitudo orta, quam neque Doctores sufficienter explicare,
nec discentes mente comprehendere potuerunt. Interea optimas
celeberrimorum interpretum explicationes, quas sue hypothesi non
favere sentiunt, corrigerem & rejicere ausi sunt, quandoque per-
versas & noxiás plane sententias Scriptoribus S. tribuentes. R.
Quæ est illa multitudo? aut unde orta est, nisi à primo ac-
centuum autore? Nam qui de accentibus scriperunt,*,
nullos vicarios addiderunt, sed in Codice S. repertos nota-
runt. Si qui præcesserunt, illos sufficienter non explica-
verunt, nemini sequentium prohibitum, quæ desunt, ad-
dere. Quanquam non videam, quid huic rei desit. Exa-
minet Tabulas illas duas, quas Diacritica S. exhibet, cum
notis adjunctis, si vel unus, isque minimus totius Codicis
S. desideratur, qui non sufficienter sit explicatus, ostendat
illum. Discentes accentus mente comprehendere non
posse, qui dicit, vel suo ingenio metitur alios, vel omnes
discentium ingenium præ se contemnit. Sex vel septem servi
sunt,

sunt, qui interdum loco distinctiorum in secunda vel tertia
 sui Domini voce ponuntur. Lapis vel stipes sit oportet, qui
 tantillam multitudinem, quam D. A. frustra tantam vocat,
 capere non posset: Præcipue cum in Tabb. D. S. condicio-
 nes singulorum tam perspicue positæ sint. Ego D. A. sistere
 possum ex meis discipulis, qui, cum pueri adhuc essent,
 illos comprehendere & juxta accentus Dicta S. Scripturæ,
 quæ illis proponebantur, in Tabellis disponere potuerunt.
 Unde colligo etiam alios id facere posse & D. A. sine causa
 de aliorum ingenio desperare. Quod vero scribit eos,
 qui accentus sequuntur, perversas & noxias plane senten-
 tias Scriptoribus S. tribuere, id probari non potest. Non
 debuisset in genere omnes accusare, aut illos suspectos red-
 dere; sed Autores, qui hoc faciunt, nominare. Ego quo-
 que vidi illos, qui juxta accentus Textus biblicos resolvunt.
 Concedo nonnullos interdum non satis dextre accentibus
 usos. Unde & quosdam illorum nævos in Diacritica S.
 notavi. Qui vero noxias & perversas plane sententias
 Scriptoribus S. tribueret, nullum vidi. Indicet ergo, quis
 ille fit, ut aut ille se defendere, aut nos illum fugere possi-
 mus. Sed subolet mihi, quid sit. Non enim pituita labore,
 multo minus nasum amisi. Explicationem Es. IX. 5. quam
 ante aliquod annos dedi, pungit. Loquitur vero hic in
 plurali per Synechdochen, ne Rhetorices ignarum putare-
 mus. Hanc enim & in Dissertatione sua & in hoc Tractatu
 Cap. XXIII. §. III. p. 200. judaismi & Socinismi ream fistil,
 unde non mirum, si illam in noxiis & perversis sententiis
 habet. S. S. Trinitatem & Messiam θεανθρωπον ex illo Dicto
 Esaiæ probavi. Hoc judæi & Sociniani ambabus ample-
 &tentur. Scilicet! Sed male cohærentem hanc accusatio-
 nem Dissertatione Antiabichtiana fregit: Adquam si respon-
 derit, plura audiet. Hic nihil addo, nisi illud, ut vel unum
 mihi judæum aut socinianum afferat, cui mea explicatio
 arridiat.

arridiat. Sed Titulos separo, nec omnes Messiae tribuo.
Fateor. Quid tum? Num oblitus est illud per vulgatum? :
Duo cum faciunt idem, non est idem? Probet, prius-
quam me accuset, me eodem modo, eodemque fine Titu-
los illos separare. Sed quid multa? Ad hæc dijudicanda
non opus est Doctoribus & Professoribus: vel Tirones
Theologiae vident, quid solidi in tali accusatione, nugas-
que rident.

§. V. Num adhuc plura contra anomalias producere
valet? Omnino. Cap. V. §. XVI. p. 79. hæc legimus:
Inutiles sunt & falsa aliorum intricate & obscuræ de anomalieis
regulae, quas magno numero fixerunt, usque artem magis obscu-
rarunt, quam dilucidarunt. R. Et hic debuisset indicare,
quorum & quænam illæ regulæ sint, in quas sic invehitur.
Deinde etiam probare debuisset, illas intricatas, obscuras,
falsas. Nam, si accusasse sufficit, quis innocens erit? Sed
alii pro se loquantur: Ego hic pro me tantum loquar.
Dedi & ego in Diacritica S. regulas. Producat, si vir est,
vel unam ex illis, quæ intricata, obscura & falsa. Si vero
illud facere non potest, cogitet, quid sit, omnes aliorum
regulas præ suis contemnere, omnesque in genere accu-
fare, cum ne quidem de uno probare id possit.

§. VI. Sed mittamus illa & rem ipsam videamus. Re-
jicit anomalias & irregularē accentuationē. Hic quæ-
rere possem, an unquam regulam sine exceptione videvit?
Sed non utar illa reponſione. Suo sibi hunc adversarium,
ut Terentianus ille, gladio jugulabo. Nam ipse D. A.
nobis anomalias, quas in aliis rejicit, explicat, licet valde
imperfecte & interdum perverse. Duplices sunt anomaliæ:
Distinctionis & interpunctionis. Ad anomalias Distin&tionis
pertinent, quæ Cap. IX. p. 118. seqq. Cap. XXI. p. 181.
seqq. habet. Omnia quoque exempla ibi adducta, paucis
exceptis, ex Diacritica S. desumpta, & ad mentem D. A.

deflexa sunt. Anomala interpunktionis etiam passim habet. Vid. p. 39. 40. 41. 42. 51. 53. 54. 55. 56. 58. 59. 62. 64. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. &c. singulis fere paginis, usque ad Cap. XXII. quæ omnia addere tædet. Qui hæc confert cum Tabulis in Diacritica S. positis, videbit eadem esse, quæ ibi ponuntur, & hic per totum librum dispersa, quæ in Tabulis ordine & brevissime posita, ut uno intuitu videri possint. Sed quo eo magis D. A. constringamus, videamus omnes anomaliarum species, quæ in Diacritica S. habentur. 1.) Dominus stat loco servi. Huc pertinet Es. 5. 2. 4. q. habet p. 54. Num. 25. 15. p. 58. Num. 18. 9. p. 63. &c. 2.) Major loco minoris. Sic hæc Ars p. 64. in Tabula loco minoris ponit Tlischka, Pascha, Karne parah. &c. qui alias in majore & Magna occurrunt. 3.) Minor loco Majoris. Sic hic p. 51. in Tabula loco magni & majoris ponitur, Pascha p. 56. in Tabula sub Tipheha loco magni stat etiam Tbhîr. 4.) Domini alternant. Sic hic p. 51. pro Pascha etiam ponitur Mahpach p. 56. pro Tbhîr etiam est Pascha sub Tipcha. Sic p. 75. Schalscheleth loco Rbhîæ. 5.) Servi distinguunt. Hoc negat quidem, exempla tamen passim habet, quæ distingui posse fatetur & ipse quoque distinguit. Vid. p. 75. §. XIV. & p. 78. Quamvis nobis sufficiat, quod servi ad sint, ubi Domini stare potuissent. Qualia exempla passim habet. Vid. p. 120. 6.) Servi alternant. Sic hic. Vid. p. 70. 72. 66. 67. in Tabulis. Siergo anomaliae inutiles & falsæ sunt, cur sequitur illas, & quidem omnes & singulas, ut modo vidimus? Si utiles & veræ, cur reprehendit? Cum igitur videamus D. A. nobis Artem suam sine anomalis tradere non potuisse, adeoque ipso facto verba sua refutare, sibique contradicere, non est, quod illius accusationibus terreamur.

§. VII. Quia vero nostra rejicit, videamus, quid ab illo expectandum. Sic vero scribit in eadem Præfatione:

Cum

Cum tot damna ex Accentibus minus recte explicatis in Ebraicam
linguam redundare animadverterem, eos luculentius explicare
suscepit. R. Ex Accentibus minus recte explicatis aliquid
damni quidem esse potest. Concedimus quoque non ab
omnibus æque feliciter accentus esse explicatos. D. A. vero
luculentius illos explicasse, nondum persuadeor. Plus ca-
liginis, quam lucis in hanc artem intulisse, non sine causa di-
cimus. Hoc patet ex ejus methodo, quam Cap. II. §. IIX.
p. 25. nobis pandit. Incipit ab initio, cum haec tenus alii à fine
incederint. Qui nil, nisi ut legat, querit, hac methodo con-
tentus esse possit. Qui etiam explicaturus est Textum, pa-
rum profecerit, nisi omnes accentus à calce ad caput recte
perpenderit. Nec quoque, qui sic procedit, de accentuum
valore recte judicare potest. Si enim in legendō processe-
rit, usque ad primum distinctivum v. g. Rhiam 2. Reg. 1. 6.
atque ibi substiterit, si rationem reddere deberet de valore
ejus, utrum sit magnus, an vero major aut secundo-major?
non potest, nisi ordine retrogrado reliquos quoque subdi-
stinctivos & Sæghol examinaverit. Atque sic, qui methodo
abichtiana utuntur, non possunt quicquam efficere, nisi si-
mul aliorum methodum sequantur. Unde satis patet, hanc
methodum in analysi accentuum non sufficere. Præterea
Arti abichtianæ multa desunt necessaria. Qui in Accentua-
tione proficere vult, debet habere regulas distinguendæ ora-
tioni necessarias: Nam sine his nihil à priori efficerit, nec
à posteriori de distinctionum qualitate & conceptuum $\chi\sigma\tau\alpha$
recte judicaverit. Has vero nullas Ars abichtiana nobis
exhibit. D. A. quidem scribit Cap. I. §. XV. p. 18. Neutquam
dubito, quin omnes versus biblici, datus iis, que ab autoris arbi-
trio pendent, accurate iisdem accentibus signari posse, qui in Codice
punctato apparent. Sed facit ostenta, & promittit, quæ præ-
stari non possunt. Quod vel ex Diacritica S. §. 196. seqq.
312, 313, 362. colligere potuisset. Sed cautus est, ut video.

Intelligit hoc de illis , qui non ab arbitrio autoris pendent.
Hos enim sibi dari postulat. Sed & hic verum illud Plan-
tinum :

Qui carvet, ne decipiatur, vix carvet, cum etiam carvet:

Etiam cum caruisse ratus, sepe is cautor captus est.

Qui enim sunt illi, qui ab arbitrio autoris pendent ? Hoc, qui artifex esse vult, scire debebat. Nemo vero scit, nisi qui differentiam accentuationis necessariae & liberae scit, de qua in hac arte altum silentium. Præterea quis scit, quin nam ab arbitrio autoris pendeant, cum nemo mentem Scriptoris divini aut ipsius Spiritus S. intelligat ? Si vero dederimus illos, quinam restabunt ? Fortasse nulli, cum omnes vel tamen plerique ab autoris arbitrio pendeant. Distinctio variis modis fieri potest. Hæc præsupponitur. Quomodo hanc D. A. adornabit ? Num accurate ? ut scribit. Scilicet, finem obtinebit neglectis mediis, contra sanum, sanæ Philosophiæ principiū : Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia. Media illa hic sunt regulæ, quas D. A. nullas habet. Data Distinctione fit interpunctio. Hæc est vel necessaria vel libera. Utramque, qui artifex esse vult, scire debet. Quod quomodo juxta methodum & Arrem abichtianam fieri possit, nondum video. Multa defunt ; multa eorum, quæ adsunt, falsa sunt & fallacia. Defectus facile deprehendet, qui regulas hujus artis cum Tabulis Diacrit. S. contulerit. De falsis pauca hic notamus. Cap. IV. §. II. p. 38. majorem & Sgoltæ ponit etiam Paschta, cum tamen in majore nunquam occurrat. Qui aliter sentit, exempla proferat. Cap. IV. §. IV. p. 4. vult Sillucum sibi semper præmittere Tipcham. Quod quam falsum sit ex Diacrit. S. §. 298. patet. Cap. V. §. IIX. p. 63. vult Paschta in membro Rbhia occurgere, quod falsissimum : Nam Paschta nunquam est subdivisivus Rbhiæ. Pag. 64. ponit tale schema sub Paschta.

Paschta

Pascha	Tlischā	Paser	Geresch
		Paser	Geresch

Sed hujus consecutionis nulla exempla dantur. Nec ubi Paser in magna adest, in Majore Geresch occurrit. Nec Paser in Minore reperitur; sed tantum in magna & majoribus. Si in magna adest, interdum vicarii in minore occurunt, quos D. A. quidem contemnit, sed sine fundamento. Ut supra vidimus & infra videbimus. Præterea haec Tabula nemini usui esse potest, cum conditiones, quibus illi, qui adsunt, ponuntur, nullæ existant. Cap. XIII. §. I. p. 156. seq. putat, Tiphcham in minore sub Athnach metrico bis subdistincto poni, quod tamen universaliter non est verum. Ponit p. 60. sub Rhbia etiam Geresch cum Kadma in eadem voce & in magna Karne parah cum nullum exemplum detur, in quo sic occurrant. Nec Gereschaim, Paser, Karne parah eo ordine occurront. Quia Paser nunquam habet alium majorem, nisi seipsum. Et talia plura in hac arte reperiuntur, quibus discentes in errorem ducuntur, ut vel falsa proveris arripiant, vel etiam quid assumendum sit, nesciant. Verum de his infra plura dendi locus erit. Ex quibus omnibus facile patet, D. A. frustra hic luculentiorē explicationem jactare. Lutulentiorem rectius dixeris: quia multum luti tam falsitatis, quam imperfectionis secum vehit.

§. IX. Sed discamus nunc, quid luculentior hæc ars doceat. Duo inquit, fundamenti loco supponenda esse existimari. Primum, quod omnes accentus Distinctivi semper & ubique lectio-rem versus distinguant. R. Hoc fundamentum de ordinaria interpunctione intelligendum, jam dudum ab aliis positum: in extraordinaria alter se res habet. Quod ipsa hæc ars, p. 40, 42, 54, 58. &c. concedit, adeoque universalitatem ejus infringens sibi contradicit. Atque utinam hic subsisteret!

steret ! Sed D. A hujus fundamenti plane oblitus multis in locis contra illud sœvit, omnibusque id viribus destruere laborat. Nam non obstante hoc fundamento voces distinctas sensu connexo vertendas esse vult, non vero distinguendas. Cap. V. §. II. p. 54. adducit Gen. 31. 13. **אֲנָכִי רְאֵךְ בְּתַחַת אֶל** Quæ sic vertit : Ego | Deus Bethelis || Cum tamen, si suum fundamentum sequi voluisset, sic vertere deberet : Ego Deus | Bethelis || vel potius : Ego Deus | **Deus inquam Bethelis** || juxta Diacrit. S. §. 220. β Pag. 58. habet Es. 14. 15. **וְאֵל-שָׁאוֹר תּוֹרָה** Ubi penultima vox sensu cum ultima cohærere statuitur. Unde sic vertenda forent : Certe | ad infernum detruderis || vel potius : Certe **detru-**
deris in infernum | detruderis inquam || Indicat nempe, sive velit, sive nolit, illum tamen ad inferos abruptum iri. Vid. Diacrit. S. §. 220. 2. p. 124. Et talia plura in hac arte occur- runt. Quibus omnibus sibimet ipsi contradicit, & funda- mentum à se positum evertit. Si enim hoc fundamentum firmum, cur voces distinctas sequentibus necdit ? Si vero ll. cc. recte se vertisse putat, quomodo fundamentum con- sistere potest ? Alterum cadet, vel fundamentum, quod no- lumus; vel versiones has aliter fieri oportet, quod cupi- mus.

§. IX. Secundum, quod fundamenti loco ponit, est, **quod omnes accentus servi semper & ubique syllabas & voces se- quenti distinctivo in lectio- ne adjungant, easque sensu connexo ver- tendas esse, inident,** R. Hæc regula etiam limitanda h. m. Servis solitarii positi semper jungunt. Cum enim plures se- sequentes ponantur, si actu non distinguunt, possunt tam- men distinguere. Vid. Diacrit. S. §. 38. seq. & Dissertat. An- tiabicht. §. VIII. Ipse D. A. testatur Cap. V. §. XIV. p. 75. **quod in illis interpres vocum distinctiones & conjunctiones ex con- textu facile cognoscari.** & Cap. XIII. p. 74. §. XVI. p. 76. **Inter- pretis judicio relinquuntur, ut vocum distinctiones & conjunctiones ex senso**

(15)

ex sensu dijudicet. & p. 78. Exempla posita distinguit. Quamvis vero non negemus accentuum autorem servos plures adhibuisse ob accelerandam pronunciationem, quod hæc ars vult p. 79. non tamen exinde sequitur, quod in analysi non debeant distingui. Præcipue illud notandum in Minore sub quovis Domino, ubi, si non distinguerentur, accentuum consecutio turbaretur. Hoc cum D. A. thesi suæ præpostere serviens non observet, nec regulis, nec Tabulis ejus uti possumus. v. g. p. 64. Cap. V. §. IIIX. in Minore, ponitur Pascher & Karne parah. Hic Lectores facillime in eam opinionem venire possunt, quasi immediatam distinctionem constituerent sub suo Domino. Quod multo secus est. Nam semper intercedunt, vel ipsi Domini, vel servi loco Dominorum emphatice positi. Vid. Diacrit. S. Tab. Prof. G. 8. β. b. 2. & γ. b. Si vero tam invidus est, ut his servis illum distinguendi honorem tribuere nolit, debuisset tamen Lectores & discentes monere, qua ratione & quibus conditionibus Pascher & Karne parah ibi adsint. Quod cum negligat, incertosque discentes relinquat, hæc ars officio suo rite non fungitur. Et qui illam sequitur, numquam ad certam solidamque cognitionem perveniet, sed semper inluculenta hac explicatione cimmerias tenebras offendet. Sed statuat D. A. quicquid velit. Qui exempla SSræ considerat, facile videt, quid verum falso ve sit. Multis in locis vox penultima & ultima, vel etiam antepenultima, cum penultima non construitur. Hinc ordinarie distinctionem requirit. Cum itaque interpungens in voce distincta servum loco Domini posuerit, non sine summa injuria ejus vis distinguendi negari potest. D. A. adducit p. 78. ex Deut. II. 32. לְרַאֲתָנוּ אֱלֹהֵינוּ הִנֵּה Hic vox penultima & ultima non coherent constructione grammatica, unde recte ab illo distinguitur. Jud. 20. 34. בְּחָורָה אֶלְפִים אִישׁ עֲשָׂרֶת videmus tertiam vocem non construi cum secunda. Quod vel ex

eo patet, quia terminatio מ manet. Tertia ergo ordinarie distinguenda. Quia vero interpongens ibi servum ponit, sine omni dubio ille erit vicarius Domini Gereschi ejusque absentis potestatem exercere putandus est. Quod in non constructis videmus, idem in constructis fieri potest. Quia nusquam distincti conceptus desunt, quibus membra efferri & ad se invicem referri possint. Nec ullum probabile argumentum in contrarium adduci potest. Objicit quidem p. 79. *Si hoc intendisset accentuum autor, non servos apposuisse.* R. Potuisset sane, sed noluit. Cur vero? Respondeo ex ipsa arte p. 79. voces celerius & conjunctius pronunciari voluit. Cujus celeritatis nulla alia ratio esse potest, nisi emphasis aut רָאשׁוֹס. Quod ipse D. A. agnoscit in *Dissertat. de Accentuum officio.* Conf. *Dissertat. Antibicht.* §. 21. Sed quid opus est prolixo contra D. A. disputare, cum & hic sibi contradicat, & contra proprium fundamentum agat. Quod non solum ex illis patet, quæ in hoc § adduximus, sed etiam ex illis, quæ præcedente §. 8. adducta. Si Gen. 31. 13. Mahpach in אַנְפָס est servus, adeoque hæc vox sequenti voci jungenda, juxta fundamentum secundum ab illo positum, cur vocem אַנְגִיט voci בֵּית־אַל ? Sic enim non potest non Mahpach distinguendi vim accipere. Idem judica de Es. 14. 15. Si enim Darga est servus atque hoc ejus fundamentum consistere debet, non potest שָׁאֵל voci תְּרֵר in sensu connexo tribui, eo modo, quo id D. A. facit. Cum vero id faciat, una opera utrumque suum fundamentum, quantum in illo est, evertit. Quia ergo hic nihil certi est, sed ea, quæ uno loco ponuntur, alio loco verbo & facto destruuntur, facile artificium hujus artis videmus.

§. X. sed hæc de Præfatione sufficient. Nunc ipsum Tractatum ordine examinemus. Cap. 1. agit de usu musico, de quo etiam quædam in Dissertatione, quam Diacriticæ

criticæ s. præmisit, habet. Ad quæ in Dissertat. Antiabicht, respondi. Non ergo opus est, hic prolixe contra illum, disputare. Illud tantum dico. Judæi, quorum testimonia hic habet, aut non loquuntur de cantillatione, sed tantum de decora vocum pronunciatione, quam non negamus: aut si de cantillatione sua intelligunt, probare tenentur.,, quæ statuunt. Judeos modernos cantillare scimus, quamquam non eodem modo, quod ex verbis Eliæ §. II X. p. 9. citatis patet. Sed quærimus, an in hunc finem accentus sint inuenti ? Hoc nemo haetenus probare potuit. D. A. putat, accentus etiam instrumentorum musicorum sono expressos. Quod colligit ex verbis י'ש § III. p. 4. citatis בָּרוּחַת קֹל וּבְצִלּוֹן גְּשֻׁמָּה שְׁלֵצָלָן denotare instrumentum musicum. Vult potius illos elevata voce clare & jucunde esse expressos inter pronunciandum. Nam שְׁלֵצָלָן tam proprie, quam metaphorice clarum indicare D. A. non negaverit. Si vero concesserimus, שְׁלֵצָלָן significare instrumentum musicum, si quoque concesserimus Judeos adhibuisse instrumenta musica, quid tum ? Num exinde sequitur Accentus eum in finem esse inventos ?

§. XI. Cap. II. §. XV. Quædam habet, quæ mihi aliisque opposita, unde consideranda. Diximus quidem, jam antea §. 4. quædam de illis : sed rogamus B. L. ne & hic repetita quædam legerè pigeat. Sic vero D. A. Non diffiteor plerosque accentuum interpretes docuisse, Hebreos duas tantum voces conjunxisse, Et si tres vel plures servi concurrunt, semper alterum illorum distinctivo locum occupasse. R. Nec nos diffitemur. Res quoque pro seipsa loquitur. Omnibus enim in locis, ubi plures servi concurrunt, semper aliqui distinguunt & distinctos conceptus logicos fistunt. Hoc nemo, nisi harum literarum plane ruditis negaverit. Et ipse D. A. agnoscit, dum tales voces logice distinguit.

C

Vid.

Vid. Cap. V. §. VI. p. 78. &c. Si servi distinguendi vim non habent, cur ipse distinguit & distinctiones ex contextu facile cognosci posse afferit. Cap. V. §. XIV. p. 75 ? Si vero vim eam habent, cur hic eam negat. ?

§. XII. Sed hinc tanta vicariorum multitudine orta est, quam neque Doctores sufficienter explicare, neque discentes mente comprehendere potuerunt. R. 1.) Si Spiritui S. placuit tot vicarios adhibere, quis homo illud reprehendere potest? 2.) Doctores omnes hoc sufficienter explicasse, non dixerim: Was-muthium tamen si consuluerit, parum illi deesse, quod ad hanc doctrinæ partem attinet, videbit. Si vero quid deesse putat, videat Diacriticam S. in qua totam illam doctrinam explicatam reperiet. Qui hoc negat, proferat exempla, ex S. Codice in contrarium. D. A. sine dubio memoria tenet, me ipsi monstrasse Concordantias accentuum. Ex his omnes, quas ego posui, regulas desumpsi, atque sic omnes illæ regulæ probari possunt inductione omnium exemplorum. Hæc Ars abichtiana dissimulat & omnes in genere accusat, quod doctrinam de vicariis sufficienter explicare non potuerint. Quid illi sufficit, si omnia exempla adducta non sufficiunt? Aut quæ solidior probatio in his literis esse potest, quam omnium exemplorum inductio? 3.) Si discentes mente comprehendere nequeunt, non accusandus est docens. Non nesciet D. A. illud Philosophorum: Omne receptivum recipit, non ad modum imprimentis, sed receptivitatis suæ. Quamvis expertus sim, non omnes discentes tam stupidos esse. Sed de his supra plura.

§. XIII. Interea, pergit: Optimos celeberrimorum inter-pretrum explicationes, quas sue hypothese, non favere sentiunt, corrigere & rejicere ausi sunt, quandoque perversas & noxias plane sententias Scriptoribus S. tribuentes. R. Gravis accusatio proximi, quam D. A. nisi contra IIX. Præceptum, peccasse

peccasse vult videri, probare tenetur. Monstret, quinam illi sint, qui optimas explicationes rejiciunt. Monstret, quænam interpretationes illæ sint, quas rejiciunt. Probet optimus esse, quas rejiciunt. Monstret, quænam per versæ illæ & noxiæ sententiaæ sint, quas Scriptoribus s. tribuunt. Probet firmiter tales esse. Hæc omnia nisi monstraverit & demonstraverit, facile illi, qui sine præjudiciis hæc legunt, judicare poterunt, quid de accusatione ejus sit statuendum. Conf. supra §. 4.

§. XIV. Qui genuinum accentuum officium consideraverit, facile percipiet, quod autor accentuum de illa hypothesi, ne per somnum quidem cogitaverit. R. Quoniam est genuinum illud officium? Nonne distincte nobis autoris mentem explicare? Ars hæc distincte legere docet. Num distincte leget, quæ distincte non sunt proposita? Hoc accentuum officium omnes, qui hactenus ex nostratis rite hæc puncta tractarunt, cognoverunt. Quinam ergo sunt illi, qui genuinum officium non considerant? Quænam illa hypothesis, de qua autor accentuum ne per somnum quidem cogitavit? Fortasse illa de cantillatione, quæ multorum cerebrum occupavit. Nam de hac accentuum autorem sollicitum fuisse, nemo hactenus probare potuit. Quæ enim attulerunt, ne speciem quidem veri habent, multo minus ipsam veritatem.

§. XV. Sed pergamus. Regulas, quæ accentuationem à priori, ut loquuntur, docerent, invenire multum alii laborarunt, & de dictamine grammatico & logico, que vocum connexiones & distinctiones indicarent, multa prefati sunt: Sed utrum eorum regulæ intentioni autoris & antiquorum judeorum respondant, alii judicent. R. I.) Nec hic generatim omnes regulas rejicere, sed cum, qui accentuum doctrinam tradunt, non eodem modo, nec easdem regulas proponant, distincte rem explicare debuisset, ut sciremus, quas regulas

rejiceret. Omnes probari non posse fatemur. Unde posteriores semper priorum regulas vel correxerunt vel rejicerunt. Quod aliter fieri non pouit, in re nondum satis exculta. Inventis semper aliquid addendum, donec artes ad *ārūn* pervenerint. Id fieri videmus in reliquis, cur non etiam in hac? Sed D. A. nihil habet eximum: omnia sine discrimine rejicit. 2) Si intentio autoris dictamini logico & grammatico non respondet, dicat nobis, an Spiritus S. sua *āλογος* scripserit? si Logicam neglexit, quomodo SSra dici potest vera? Num datur Logica sine veritate, aut veritas sine Logica? Num fons omnis boni atque sic etiam Logicæ, logice loqui non potest, aut non debet? Et quo jure dictamen illud logicum & grammaticum in dubium vocare potest, cum in singulis pasucis vel manu palpari possit? Producat D. A. vel unicum pasucum ex s. Codice, qui non sequatur dictamen logicum. Non poterit.

§. XVI. Sed fortasse non sine causa hoc dictamen rejicitur. Tot enim subjecerunt exceptiones, que regularum universalem veritatem mox debilitant & infringunt. R. Et hic *ārpiθειαν* desideramus. Debuisset distinguere regulas & regularum autores, sic etiam, quænam illæ & quot exceptiones sint, explicare, ut sciremus, quid rejiceret, & quid nos sequi aut defendere vel etiam descerere deberemus. Mira vero res est, quod hic propter exceptiones regulas rejiciat, & magis mirum, quod putet, exceptiones infringere regulas. Omnes in hac summis hæresi, exceptiones confirmare regulas & perficere. Nempe quando regula cum exceptis totum exhaustit. Ergo cum nulla regula (nisi moriendi) exceptione careat, omnes Regulæ sine exceptione sunt imperfectæ & non nisi imperfectam & confusam cognitionem pariunt. Si itaque regulæ recte conceptæ atque exceptiones legitimæ & sufficienter explicatae, regulam exceptiones non debilitant, sed corroborant & perficiunt. Et qui exceptiones regulas de-

de dictamine logico infringere possent, cum nulla exceptio & nullum anomalam exemplum detur, quod non fundamento logico nitatur. Si D. A. hoc negat, producat exempla in contrarium. Satis hic patet D. A. hanc artem & mentem eorum, qui illam tradiderunt, non satis percepisse, aut etiam contra conscientiam suam oppugnare. Sed faciamus periculum, annon & hic proprio illum gladio jugulare possumus. Negat anomala. Sed supra §. VI. evicimus, illum omnia illa anomala, quæ in aliis reprehendit, in sua quoque Arte habere. Quid sunt anomala? Quæ à communi regula deflectunt. Quid est exceptio? Nonne annotatio eorum, quæ à communi regula discrepant? Qui igitur anomala ponit, habet etiam exceptions. Cum ergo Ars abichtiana omnia anomala habeat, quæ nos, necessario etiam illas exceptions, quas nos ponimus, habebit. Atque ita hic etiam, ut alias, quæ in aliis reprehendit, ipse admittit. Ubi insuper notandum, quod regulam distinguendis vocibus necessariam nullam ponat, & tamen exceptions regulæ illius, quæ poni debuisset, habet. Ut ex Cap. IX. & XXI. perspicuum. Quis hoc artificium non miretur?

§. XVII. Planiori, pergit, via incedimus, si dicamus, quod autor accentuum voces distinxerit, quas sensu salvo distinguere potuit, & quandoque duas, quandoque tres & plures conjunxerit, quos sensu salvo conjunctim prouinciare potuit. R. Num vero non eadem via alii incedunt? Et illi statuunt, voces distingui, quæ salvo sensu distingui possunt. Et illi concedunt, quandoque duos, tres vel plures servos se ordine sequi. Nec negant illi, quod ita salvo sensu conjunctim prouinciari possint. Quæritur vero, annon illa verba, sic per continuos conjunctivos copulata in analysi distingui possint? Hoc affirmant, &, si opus foret, inductione omnium exemplorum demonstrare possunt. Si D. A. hoc adhuc negat, proferat exempla, quæ distingui nequeant.

nequeant. Sed salva res est. D. A. ad nostra se castra confert & concedit, quod negaverat. Ut supra §. XI. vidimus. Quod itaque viam suam planiorem ja^ctat, id eodem jure facit, quo luculentiorem esse volebat. Quod §. VII. vidimus.

§. XIX. Sed audiamus, quid D. A. porro promat. Neutquam tamen, inquit: *dubito, quin omnes versus biblici, datis iis, que ab auctoris arbitrio pendent, accurate iisdem accentibus signari possint, qui in Codice punctato apparent.* R. Hic satis patet, contra quem D. A. artem suam direxerit. Vid. Diacrit. S. §. 308. 313. 359. Ubi contrarium solidissime demonstratur. Hæc quomodo refutaturus sit, expectamus. Interim non satis mirari possum confidentiam D. A. qui coram erudito mundo ea affirmare & ja^cture audet, in quibus vel à discipulis suis, qui Hebraica legere & accentus norunt, meliora doceri potest. Detur illi dictum SSræ, removeatur Codex s. distinguat verba, distincta interpungat. Si vel unum pasicum sine dictamine logico & grammatico, aut regulis ab aliis datis interpungere potest, mirabimur artem ejus. Si vero forte, quis usu & exercitatione id consecutus, ut verba data distinguere & interpungere possit, quem tamen videre per velim, quomodo suam distinctionem defendet, aut quam ejus rationem reddet? Hic Rhodus, hic saltet, qui potest. Tum quoque qui sensum Spiritus s. à priori nescit, accentus eosdem, quos Codex s. habet, nunquam apponet. Hoc Diacrit. S. variis locis docet. Vid. §. 309. seqq. & 352. seqq. contra quæ D. A. hic in tenebris pugnat. Quo eventu, exitus probabit. Reperiuntur gratia Dei, cui & laus & gloria sit, qui, quæ scribuntur, conferre & examinare, atque de illis judicare possunt. Hi facile viderint, quid sani aut solidi, in his D. A. assertionibus. Sed hæc sufficient de Cap.

Cap. I. Reliqua vel mihi non adversantur aut nocent, vel etiam alibi rejecta.

§. XIX. Nunc videamus Cap. II. ubi notamus, quod p. 21. constitutat cum aliis quibusdam tria pauci membra. Quod in seqq. aliquoties repetit. Vid. Cap. III. §. II. & III. Cap. XI. §. III. Hoc etiam opponitur Diacriticæ s. que hoc negat §. 190. Cum vero quiper Trichotomiam Paucos resolvunt, nullum pro se argumentum habeant: Dichotomia autem dispositionibus aptior sit, atque omnibus totius Codicis s. paucis probari possit, merito hanc sequimur.

§. XX. Supra §. VII. monstravimus, hanc artem multa falsa proponere. Hujus exemplum & hic habemus. Scribit enim Rhiam ejusque vicarium Schalscheleth membra & Sgoltæ, Sakephkaton & Tiphcha subdistinguere. Hoc fallit. Nam Schalscheleth non nisi sub Sakeph occurrit. Hinc Cap. V. §. I. p. 50. & §. XV. p. 75. sibi contradicere cogitur. Egregium artificium! Ex quo videmus, quanta cura & attentione animi hæc ars elaborata sit.

§. XXI. Consideremus etiam caput III. ubi §. I. p. 26. scribit, à Masora adduci V. exempla, in quibus XL. voces. Verum est. Docet Masora quinque exempla reperiri, quæ nam vero illa sint, id Masoram indicasse, non memini. Ego vero non sine labore illa collegi, atque in Diacrit. s. §. 44. adduxi. Nisi ergo locum Masoræ, ubi adducantur, monstraverit, facile crediderint, hæc exempla ex Diacritica & in Artes abichtianam transcripta.

§. XXII. Eodem capite §. III. p. 27. vult, in interpunctione observandum, quod membrum Athnachi quandoque cum membro Sgoltæ quandoque cum membro Silluci arctius cohereat. R. Hæc nisi recte intelligatur, est noxia hypothesis, contra quam Diacrit. s. §. 231. disputat. Sic enim vis accentuum turbatur & si quis Dicta S. Sræ pervertere voluerit, nunc ad

ad seqq. nunc ad antecedentia Athnachi ditionem referre poterit, atque sic nihil certi habebimus. Contra hoc firmiter tenendum est, Athnachum semper esse majorem Sgolta, atque sic Athnach magis cum Sgolta quam cum Silluco cohærere. Hoc valet etiam in extraordinaria s. anomala distinctione. Licit per hanc interdum materiæ conexæ divellantur & distinguenda jungantur, ob certas Spiritus S. rationes: accentuum tamen valor nunquam confunditur. Locus Gen. 8. 21. non probat, quod debet. Distinctio, si Spiritui s. placuisse, aliter fieri potuisset. Quod, qui fundamentum rei cognoscit, facile videt. Distinctio vero hac data, accentus sium nativum valorem retinent. Nec video causam, cur Athnach magis ad Silluc pertineat, quam ad Sgolta. Qui sine antecperita opinione verba considerat videt r̄g Sgolta ditionem magis ad Athnach pertinere, quam ad Sillucum. Ad Sillucum pertinet mediate, ad Athnach immediate. Cur non vult percutere viventia terræ? Quia non maledicet illis. Cur non maledicet? Quin odor ille sacrificiorum in fide oblatorum Deo gratus acceptusque? Quia igitur Sgolta & Athnach immediate cohærent, & distinctio inter pœnam & pœnæ fundamentum, satis perspicua, non video, quo jure Athnach magis ad Silluc, quam Sgolta referendus. Videamus verba in Tabella. Est hic *Decretum seu promissio Dei de remissione peccata ratione*.

I. Fun-

I. Fundamenti, q. est maledictio remota, descripta

(N) Causaliter, ubi [α) actus.
[β) objm.

וירח יהוה

את-רוח הנחוח

(ב) in se ubi

a) θέσις	-a) Signum dicti, ubi	[1) actus	ויאמר יהוה
in qua	b) Dictum	[2) modus	אל-לבו
	ubi	{ t) actus [a) generalior	לא אספ
		[b) spec.	לקריל עור
		{ aa) formaliter [bb) objective	את-ווארמאה
		[2) causa.	בעבור וואדם

(ג) οντοθεσίς quæstio

a) rem ubi	[1) Subj.	{ a) intimatur [b) explicatur,	כִּי
		{ aa) Quo. estque vel	צְאֵר לֶב
	2) Prædicatum	[bb) Quod.	הַארֵם
b) adjunctum			רֹעֵךְ

II) Exercitii, ubi (N) actus { α) generalior
[β) specialior
(ב) modus.

Quamvis igitur distinctio aliter fieri potuisset, non tamen hæc distinctio obstat, quo minus Athnachi ditio commode referatur ad Sgolta, ut non sit opus illum referre ad Sillucum, maxima distinctione in Sgolta constituta. Quod vero in priori hemistichio cohærent causa fundamenti & ipsum fundamentum, quæ distingui poterant, indicat, quam proclivis sit Deus, ad condonandum, ubi videt cor contritum & fidei plenum &c. Idem judicandum de cæteris exemplis, in quibus terminus distinctivus transponitur.

§. XXIII. Adducit Cap. III. §. IV. p. 29. Gen. IV. 8. 9. putatque unam propositionem distrahi per duos pasus. Quod quidem conceditur, Vid. Diacrit. s. §. 42.

D

(Atque

(Atque hic iterum anomala statuere cogitur : Nam hæc distractio fit *divisus*. Vid. Diacrit. s. §. 45, seqq.) Sed scendum tales distractas propositiones constituere potentia plures v. g. in loco citato habemus tres propositiones completas, si ea, quæ in vocibus sic distractis necessaria, adduntur. Verba adducta ergo sic verti debent : Tunc exivit Rex Sodomæ & Rex Gomorrhæ & Rex Adæ & Rex Zeboim & Rex Belæ, quæ est Zoar, & fecerunt cum illis prælium in valle Siddim. *Prælium inquam commiserunt* cum Kedor Laomor Rege Elam, & Thideal Rege Gentium & Amraphale Rege Schinear & Arjoch Rege Ellasar. Nempe quatuor Reges *prælium commiserunt* cum quinque Regibus. Idem judica de reliquis locis ibi citatis. Vid. Præfat. Diacrit. s. p. 37, ubi Gen. XXIII. 17. 18. explicatur. De reliquis hujus capituli non est, quod plura addamus, cum illa partim ex his, quæ dicta sunt, dijudicari possint ; partim ex Diacrit. s. §. 47. seq. & 267, pateant.

§. XXIV. Sed in Cap. IV. quid erit artificii ? §. II. p. 38. ponit Tabulam consecutionis accentuum sub Sgolta, quæ in majore etiam habet Paschta, cuius tamen nullum exemplum ex s. Codice proferre potest. §. IV. p. 41. putat Sillucum & Athnachum sibi semper præmittere Tiphcham, quod tamen de subdistinctivo intellectum, falsum est. Hoc etiam supra §. VII. monstravimus. Tabula quoque deficit : Quia maximum omittit. Vid. Diacrit. s. Tabula Prof. A. B. 15. & 2. Reg. 1, 3, 6. §. V. P. 42. vult Tiphcham in penultima Silluci & Athnachi quandoque tantum distincte legendum & sensu connexo explicandum esse. Ubi duo notanda. 1.) Non addit, quibus conditionibus id fiat. Unde discentes dubii & incerti relinquentur. 2.) Sibi contradicit : Nam in Præfatione volebat distinctivos semper & ubique distinguere : aut tamen indicat, illud fundamentum limitationem admittere, quam ibi addere debuisset.

debuiisset. Ad eundem lapidem impingit Cap. V. §. II.
p. 54. & §. IX. p. 67. & §. XI. p. 71.

§. XXV. Eodem capite IV. §. VI. p. 43. docet Tiphcham cum ultima arctius cohærere quam cum antecedente Merca. (Ubi contradicit fundamento utriusque in Præfatione posito.) Hinc rejicit ; qui in illis exemplis aliquid repetunt. Quod etiam §. VII. p. 45. prohibet his verbis : *Non licet ex uno membro antecedente vocem unam vel plures ad aliud sequens membrum attrahere, nec ex sequenti unam vel plures antecedenti addere.* Hæc opposita sunt Reinbekio & Diacrit. s. §. 220. seqq. Sed non opus est, ut propterea in luctu & squalore simus. Ipse D. A. nostram causam agit, atque ea, quæ nobis opposuit, tam verbo, quam facto destruit. Verbo : cum p. 46. scribit : *Licet quandoque ex præcedenti membro unam vel plures voces supplendi sensus gratia in sequenti repeteret, uti ex interpretationis regulis notum.* Euge bene ! Idem nos volumus. Supplendi sensus gratia repetimus, quæ repetimus. Idem p. 218. scribit : *Verba sequentia frequenter etiam ad antecedentia referenda sunt.* Vid. Glass. L. IV. Tract. II. obser. XII. p. 1226. Sic ibi & quidem egregie : Nam etiam Glassium nostræ sententiaz testem fautorum & approbatorem fistit. Illud, quod vult Tiphcham arctius cohærere cum sequente, quam suo servo Merca, etiam ipse D. A. refutat Cap. V. §. XVII. p. 80. *Non permisum est interpreti sensum sistere in servo & sequentem vocem distinctivo minore notatam sequenti addere.* Quod etiam fundamenta ejus in Præfatione posita requirunt. Qui melius nos contra seipsum defendere posset ? Cum ergo nos ipso advoco, teste, judice causam obtinuerimus, ipse secum transigat, aut alium advocatum querat, qui ipsum in contradictionis laqueis harentem expedire possit. Præterea facto ipso suam thesin destruit & nostram confirmat. Nam Cap. XXIV. §. III. p. 216.

Verba Jud. V. 14. explicaturus verbum τοι in seqq. positum ad præcedentia retrahit. Quo jure id in dicto citato faciat, hic non quæro : Sufficit, quod ipse thesi suæ contraria faciat & suo facto nostram roboret. Idem facit Cap. XVI. §. I. p. 169. ubi ad Ps. IV. 3. ex antecedentibus aliquid ad seqq. reperit. Hæc sufficere nobis possent ad rerundendum adversarii impetum : Sed ut discentibus consulamus, paulo accuratius hæc consideranda. Gen. V. 4. 7. 10. &c. ultima copulata cohærere debebant: cum uterque effectus respiciat suam actionem. Sed distinctivus ponitur in כננים, ut sic alter effectus magis cum verbo, quam cum copulato pari cohæreat. Hoc sæpius in §. Codice fieri, videri potest in Diacrit. §. §. 220. a. Cum vero in Sacris nihil frustra fiat, quæritur, quam illud ob causam fiat ? Hic D. A. iterum pro nobis verba faciet & nostram causam tuebitur. Sic enim Cap. I. §. XIV. p. 17. scribit : *Si distinctivus voces sensu connexas distinguat, non habendus est pro conjunctivi vicario, sed cogitandum, quod autor accentuum vocem multarum syllabarum vel emphaticam tantum distinctius cum modulatione quadam legerit &c.* Cap. IX. §. IV. p. 124. *Quandoque distinctivum majorem ponit in voce, que sensu minus distinguit, sed magna consideratione digna est.* & §. I. p. 119. docet accentuum autorem affectum Davidis exprimere voluisse. Ex quibus videmus D. A. distinctionis extraordinariæ causam statuere Emphasim aut πάθος. Idem nos volumus. Vid. Diacrit. §. 20. §. 237. seqq. Sed quomodo hæc Emphasis exprimenda ? Respondebit ex verbis citatis : *modulatione quadam.* Fatebor & ego id fieri decenti pronunciatione. Sed hoc tantum valet, cum legimus, aut loquimur. Quid vero, cum Textum interpretamur & in alias linguis transferimus ? Quomodo in scripto hanc emphasis, aut hoc πάθος, quod in verbis latet, exprimimus ? Quid hic confilii ? jam alii ante me docuerunt, aliquid esse repetendum. Hoc cum examinarem, non ineptum

ineptum deprehendi. Et quia meliora non potui reperire, ea, quæ ab aliis accepi abjicere nolu. In eo proposito confirmatus sum, quia videbam ipsum Spiritum s. interdum illud, quod alibi per Accentus repetendum indicat, verbotenus, aut per æquipollens repetere. Cujus exempla Reinbek & paulo plenius Diacrit. s. §. 223. dabit. Hinc natæ mihi sunt versiones Dicitorum Gen. V. 4. & Es. LX. 13. quos exhibit Diacrit. s. §. 220. a. b. Conf. §. 226. & D. A. Cap. IV. §. VI. p. 47. seqq. rejicit; sed contra proprias assertiones & fundamenta, ut vidimus. Si itaque D. A. meliorem modum hujus emphaseos exprimendæ habet, promat. Gratiam inibit non solum à me, sed etiam ab omnibus discere cupientibus. Sin vero, frustra nostrum rejicit. Rechte Horatius:

*Si quid novisti rectius istis.
Candidus imperti: si non; his utere mecum.*

§. XXVI. In Diacrit. s. §. 304. 12. p. 213. & Tab. Prof. D. 8. d. 10. d. posui Es. 45. 1. in quo sub Saceph minore reperiatur Sarka. Secutus vero sum שְׁנִינּוֹת D. A. vero Cap. V. §. I. p. 51. vult, quamvis Masora in שְׁנִינּוֹת aliud tradat, ibi retinendum Sgoltam qui in Hooghtii Biblia legitur. Cur vero solum Hooghtii Biblia adducit, cum etiam in aliis quibusdam legatur? Cum vero nullum aliud argumentum adducat, Portam rectius sequimur. Masorethis enim, à quibus hanc Portam exstructam ipse D. A. fatetur, tutius fidem adhibemus, quam contradicenti. Quem enim Philologorum latet diligentia horum virorum in codicibus conferendis, atque literis & punctis dijudicandis? Præterea pro Porta facit vocum connexio, quæ ordinarie hic non patitur Sgoltam: Extraordinaria vero est contra D. A. hypotheses.

§. XXVII. Tabula p. 51. posita, quæ consecutionem accentuum sub Sakeph exhibet, est imperfecta. Nam non omnes, qui in quavis classe occurrunt, adiungunt: nec conditio-

tiones, quibus singuli ponantur. Extenditur quoque tantum ad secundo-majorem, cum sub illo etiam tertio-major & maxima detur. Quæ omnia patent ex Diacrit. s. Tab. Prof. D. & §. 304.

§. XXIX. Diacrit. s. §. 253. exhibet Esth. VII. 8. Hoc D. A. p. 53. contradicendi ardore ductus Hooghtio & Elia-Levita comitantibus aggreditur & nescit, quos affectus fingam. R. Si nescit, quos affectus non fingam, sed ex accentibus positis eliciam, accuratius legat l.c. & sci. Non nego, nec nescio, in quibusdam Codicibus Rbhiam reperi: Cum vero in pluribus reperiatur Sakeph, nec mirari, nec mihi vitio vertere debet, quod illum fecutus fuerim. Affectus me fingere, abichtianum figuramentum est. Ego, cum Sakephum ibi reperi, qua conditione & lege ibi staret, aut stare posset, indicavi. Nec mirum fuerit, si in tanta & tam trepida re variis variorum affectus extiterunt. Si vero D. A. evicerit Rbhiam esse genuinum, nos quoque mutato accentu conceptus & meditationes nostras mutare poterimus. Sed ego hactenus nullum argumentum vidi, quo Sakeph *vobis* argui aut convinci possit. Consecutio accentuum, non minus pro illa, quam pro Rbhia facit. Et distinctionem non esse ineptam ex Tab. §. 253. posita patet.

§. XXIX. Ars Abichtiana Cap. V. §. II. p. 56. de Cphulah sic judicat: *Mihi videtur Masorethas habuisse exemplar, in quo punctum in Tbbir culpa scriba in lineolam degeneraverit, ut hanc formam referret. Masorethæ itaque circa necessitatem Merca duplicatum finxerunt. Unde est, quod semper in locis allegatis precedat Darga, quem alias Tbbir sibi præmittit.* R. Criticum oportet esse audacem. Hoc etiam in D. A. videmus. Omnia ficta esse putat, quæ falsa ille fingit. Scilicet, Masorethæ lippi & semisomnes suam in S. Codicem operam contulerunt. Qui vero fit, quod uno dormiente, alii non vigilarint?

gilarint? Quod præcedentium negligentiam sequentes non correxerint? Quod alia exemplaria, cum illo suo non contulerint? Num tam imperiti erant linguae, ut nescirent, quinam aut quot accentus darentur, ut alterum ab altero discernere non possent? Num solus D. A. plus videt, quam omnes Masorethæ? Quæ de Darga servo habet, rem non conficiunt: Quis enim nescit, unum servum pluribus saepe Dominis servire?

§. XXX. Tabula consecutionis accentuum sub Tiphcha ponitur p. 56. Sed & illa imperfecta. Non omnes ponuntur, nec quoque conditiones, quibus singuli adsunt. Fallit quoque Tabula accentuum sub Rbhia p. 60. Gerschaim, Paser & Karne parah nunquam occurunt eo ordine: nec Geresch cum Kadma in eadem voce & Karne parah. Nec conditiones, quibus hi adsint, qui reperiuntur, videre est. Haec quoque desiderantur in Tab. p. 61. posita. Et p. 63. sub Rbhia frustra ponitur Paschta: cum nulla exempla dentur. Tab. p. 64. etiam est imperfecta, quia nullas conditiones additas habet, sine quibus Lector incertus. Fallit quoque dum in secundo-majore ponit Geresch cuius nullum datur exemplum. Nec Paser, Gerschaim Tlischæ eo ordine occurunt. Si vero haec ejus mens non est, obscurior est, quam ut Lectori prodeesse possit. Pag. 77. adducit ex Gen. XXII. 36. verba. **כִּי בָּא בְּלֵם** & scribit, omnes ferre accentuum Doctores ^{hactenus tradidisse priorem,} munachum in **בָּא** distinguere cum tamen contrarium sit verum: Nullus enim, quod ego sciam, sic statuit. Vid. Diacon. S. §. 302. 4) Conf. §. 303. Si vero id statuissent, per argumentum à D. A. allatum, non refutarentur. Quis enim nescit, verba aliquando diverso modo distinguiri? Sub Rbhia modo Munach, modo Darga distinguere alii non credent; Putant enim tantum Munach in secunda distinguere. Es. 41. 20. male post **לְמַעַן** distinctio ponitur, cum duo verba

ba rectius distinguantur : quia constituant duas diversas actiones. Nec facile exemplum producet, quod in secunda distinctionem non admittat.

§. XXXI. Sunt & alia in hoc capite V. quæ cum veritate non consistunt. Sed quia ex illis, quæ supra dicta sunt, dijudicari possunt, prolixius illa non examino. Ad illud tamen, quod circa finem §. XVI. p. 80. habet, pauca reponam. Verba Artis hæc sunt: *Non video, quid damni metuendum sit, si tres, quatuor aut plures voces interpretis judicio grammaticæ distinguantur. In N. T. sane multo plures concurrunt, quas docti interpretes quam optime interpretari norunt, licet nulla conjunctionum & distinctionum signa prostant.* R. Nec ego video, quid damni metuendum sit, si tres illæ aut plures voces secundum regulas ab aliis datas distinguantur : Illud potius commodi ex eo resultat, ut eo certiores simus, & de singulis melius judicare possimus. Si vero D. A. cum suis discipulis in atrio aut limine subsistere mayult, non debebat aliis vitio vertere, qui magis magisque in ipsam artis arcem penetrare laborant & vel minima quævis in illa perlustrare gestiunt. Quæ de N. T. objicit, nihil roboris habent. Si enim hoc valet, etiam distinctivos plerosque abdicere aut negligere possemus : *Quia nec talium conjunctionum & distinctionum signa in N. T. prostant.* Si Deus hæc in N. T. deesse voluit, æquo id animo ferre decet. Si propterea ea, quæ Deus in U. T. existere voluit, negliceremus, non solum pigritiae, sed & ingrati animi crim men foret.

§. XXXII. Postquam accentuationem prosaicam simplicem absolvit, agit Cap. VI, de dupli unius vocis accentuatione §. I, p. 85. Causam ejus deducit, ex musica antiquorum, quam se satis prolixe probasse putat, quamvis nos illam probationem nusquam reperieramus. Testimonia enim judæorum, Cap. I, adducta rem non confidere, ibi diximus.

diximus. Sed audiamus, quid ex musica nos doceat. Cum vox, inquit, majori quodem accentu cantanda occurreret, quæ nullam vocem servo vel distinctivo minore afficiendam habebat, uni voci duos imposuerunt accentus, ut melodie equalitatem conservarent. R. Hoc effatum tam falsum, quam audax. Nam. 1.) Duplex Accentus non tantum occurrit, in vocibus majori accentu notandis, verum etiam in minoribus, quod in Diacrit. s. §. 270. videreest. Et ne contradic̄tio, usitatum illud hujus Artis artificium desit, ipse §. X. XI. XII. p. 91. seq. contrarium afferit. 2.) Qui sit, quod pluribus in locis etiam in vocibus maccephatis duplex accentus occurrat? Si Macceph omisissent, habuissent vocem servo afficiendam præviam. Illi vero & macceph & duplēm, accentum adhīent. 3.) Etiam ubi vox servo notanda adest, illa duplicatio adhibetur v. g. Gen. 3. 16. ubi אלֹך' תְשׁוּקָתוֹ נִתְן בְּנֵי בְנֹהָם Gen. 19. 12. אֲנָי נִתְן בְּנֵי אֶלְך' תְשׁוּקָתוֹ 4.) אֲנָי נִתְן בְּנֵי וּבְנֹהָם sic potuisset sic interpongere potuisset: Multa millia vocabulorum occurront, quæ nullam vocem servo notandam, aut distinctivo minore afficiendam antese habent, nec tamen duplēi accentu gaudent. Alia ergo causa duplicationis fuerit. Hanc ego explicaveram in Diacrit. s. §. 272. D. A. autem illam hic destruere vult, sed fūculneis telis. §. IX. p. 90. vult Geresch & Kadma in eadem voce adesse, quando tonum antecedunt tria vel plura puncta vocalia, quorum media est longa. Hoc etiam Cap. V. §. V. p. 59. 60. inculcaverat. Sed cur Deut. VI. II. in וּבְתַּיְם reperitur?

§. XXXIII De duplēi accentuatione decalogica agit Cap. VII. p. 92. seqq. Et cum Schnegassii & Reinbekii verba (Quæ etiam in Diacrit. s. §. 278. leguntur) citasset, illorum opinione rejecta, vult duplices accentus nihil aliud, quam duplēm decalogi lectionem indicare. Hanc probat testimonis Judæorum. Sed hoc non sufficit, præcipue,

E

cum

cum omnes Judæorum digitii non sint æquales, si illorum adagio uti licet, ut ex illis, quæ à D. A. ex Rabbinis adducta, clarum. Vult quidem §. III. p. 99. *Ilos optime convenire, si autor Ein jacob per privatam lectionem, lectionem in aliis sectionibus legis usitatam & per lectionem in conventu lectionem festivalem intelligit.* Sed conditionalis nihil ponit. Et quis, nisi fungus, hoc credet? Verba קרא החר בינו לבן עצמי satis aperte hoc refutant. Et quis non videt, quam jejunum sit, per lectionem in conventu, intelligere festivalem, quasi non etiam singulis Sabbathis convenienter? Sed concedamus illis duplarem lectionem. Aliud tamen est, Judæos dupliqui modo legere, quia dupliqui modo Decalogum distinctum vident: Aliud est Decalogum dupliqui modo distinctum, ut dupliqui illo modo legeretur. Prius concedi potest, sine veritatis detimento: posterius nondum probatum video. Multa moderni Judæi faciunt, de quibus, an veteres unquam cogitarint, incertum. Et, quamvis probari posset, propter duplicitem illam Judæorum lectionem duplices accentus positos, quod fortasse fiet, cum mulus pepererit, manet tamen quæstio: Cur dupliqui modo legi oportuerit? Hoc vel frustra & temere factum; vel ex certa causa. Prius nemo pius asseret: Ergo posterius à Schnegassio & Reinbekio recte quæritur. Quid mihi videatur in Diacritica s. §. 278. seqq. videre est. Nemini vero meas meditationes obtrudo. Quod l. c. §. 282. docet. Palma in medio jacet. Proferant & alii sua. Optima proferenti omnes palmam dabimus illumque prompte sequemur. Nobis hic sufficit, quod D. A. præceptorum distinctionem agnoscat. Huic fini enim duplex accentuatio præcipue servit. Si quis Judæorum nugis deleatur, Gaudeat & vento naviget ipse suo!

§. XXXIV. Quod §. IX. p. 109. ex IX. & X. Præcepto scribarum errore vel studio accentus excidisse, putat,

putat, non satis tuto asseritur, nec ab ullo, cui integritas SSræ curæ cordique est, concedetur. Nullus Codex haec tenus repertus, qui duplices accentus ibi haberet, nec de Judæis probabitur, illos studio aliquid ex Codice s. rejecisse: Nec videmus, quid commodi ex hac rejectione ad illos redundare possit. Sophpasuk in Codicem Amstelodamensem irrepsisse, quam accentus excidisse probabilius est: Quia in nullo alio Codice ille Sophpasuk reputatur.

§. XXXV. Nec illud prætereundum, quod §. IX. p. 110. scribit de Sakepho in voce שָׁקֵפּוֹ in primo precepto Omnes accentuum doctores disputare & quosdam Paser in ejus locum substituere malle. Sed velim nobis dicat, quinam illi accentuum doctores sint. Ego vix unum reperire potui, qui aliquid de illo moneret. Qui vero Paserum in ejus locum substituere vellet, vidi neminem: nec D. A. ullum nominare poterit. Ego quidem in Diacritica s. §. 273. dubium movi; sed etiam ad illud respondi. Ex quo satis aperte videmus D. A. non satis diligenter ea, quæ legit & scribit, perpendere.

§. XXXVI. De locis Pisca habentibus agit Cap. IIX. p. 110. seqq. Ubi etiam à me dissentit. Vid. Diacritica s. §. 43. & 275. Sed nondum video, quid me moveret duplum accentuationem in illis agnoscere. Putat quidem, illud apparere ex Num. XXV. v. ult. ubi post Athnach incipit novum caput. Sed hoc infirmius est, quam ut probet, quod debet. Incertum enim est, à quo hæc capitulum distinctio, unde nec scimus, quanta ejus sit autoritas. Potuit ille ob suas quasdem rationes, quæ nos latent, post Athnach capituli sequentis initium ponere. Si vero concesserimus hoc, quod D. A. vult, de hoc loco, propterea dicere non possemus, etiam in aliis locis, ubi Pisca reperiatur, duplices accentus fuisse. Quæ D. A. §. V. p. 116. de

Origine Pisca habet, eam ob causam non placent, quia Silluc ille in nullo Codice, in medio pasuci reperitur. Nec locus Talmudicus huic rei favet. Non omnes hunc versum sic diviserunt, nec docetur, qualis haec divisio fuerit. De divisione per Pisca intelligi nequit : quia Pisca nunquam in tres particulas pasum separat, nec quoque hic locus Pisca habet, nec à Masorethis ad loca Pisca refertur.

§. XXXVII. Quamvis D. A. sit infensus anomaliarum hostis, non tamen potest non Cap. IX. adducere, anomala, sive illa vocet peculiares modos, sive idiotismos, perinde est. Sufficit, quod à communi regula recedant. Non enim hic agit de idiotismis constructionis, sed accentuationis. Hoc vel exiude manifestum, quod remotis accentibus verba nihil inusitatia aut singularis continent. Exempla quoque, quae adducit, omnia sunt desumpta ex anomalis Diacrit. §. Quamvis illa non tam explicare, quam intricare studeat.

§. XXXIX. Locum 2. Sam. 18. 12. explicat Diacrit. §. §. 141. p. 89. seq. contra hanc explicationem p. 119. pugnat, & vult ḫ per idiotismum ponи pro *omnes*. Hinc vertit : Observate omnes puerum Absolonem. Sed male suam θέων probat. Nam Gen. 10. 10. c. 15. II. c. 21. 24. ḫ non occurrit. Verba Exod. 24. 14. Qui dominus verborum, est, accedit &c. Jud. 7. 5. Qui timidus & trepidus est, revertatur: æquipollere quidem possunt his: Omnis litigans accedit: Omnis trepidus revertatur. Exinde vero non probatur ḫ significare *omnis*. Nisi etiam dicere debeam. Qui in Latio esse idem, quod *omnis*. Si dixerim: Qui rationalis est, literis operam dat: Num pace Philosophorum etiam dicere possum: Omnis rationalis operam dat literis? Non arbitror. Haec phrases non nisi indefinitam orationem constituant, cui nunc *omnis*, nunc *quidam* præponi potest, pro qualitate materiæ. Non ergo ḫ significat *omnis*; sed propo-

propositiones, quæ à ψ incipiunt, interdum signum universalē admittunt. Quod etiam enunciationibus citatis certo modo præponi potest. Quamvis etiam ita resolvi possint, ut propositiones particulares emergant. Non enim absolute, sed limitate & cum certa conditione sunt intelligendæ. Qui litigare vult, ita ut amicam reconciliationem respuat, accedat. Sic etiam: Qui timidus & trepidus, ita, ut affectus ille animi corrigi nequeat, abeat. Sic emergunt particulares. Quidam בָּעֵל הַרְבָּרוֹם accedat judicem: Quidam בָּעֵל הַרְבָּרוֹם non accedat. Non enim omnibus hoc simpliciter injungitur; sed tantum quibusdam conceditur, nempe respuentibus fraternalm reconciliationem. Sic etiam: Quidam timidi abeant: Q. timidi non abeant, scilicet, qui affectum illum corrigere aut non prodere volunt. Has conditiones in utraque propositione sub intelligi, nemo fortasse negaverit. Quod cum ita sit, propositiones illæ pro universalibus simpliciter haberi nequeunt. Et sic frustra ψ per *omnis* explicatur. Sed, si concesserimus, ψ per *omnis* recte explicari, male tamen illam suam thesin hic applicaret: cum propositiones plane dissimiles sint. Nam ll. cc. ψ ponitur ab initio, ante nomen vel verbum: hic vero ponitur post verbum. Si ergo Ars Abichtiana satis prudenter & satis feliciter sua defendere vult, proferat exempla, in quibus ψ post verbum positum, idem quod *omnis* significat.

§. XXXIX. Exemplum, quod §. II. p. 121. ponit ex Jer. 49. 23. habet Diacrit. s. §. 212. Sed Es. 49. 4. pertinet ad D. S. §. 211. Quod vero p. 122. ad hanc classem refert Es. IX. 5. id facit thesin suam *διαφυλάττων*. Verum, si ea refutaverit, quæ in Dissertatione Antiabichtiana & in Vindiciis hujus Dicti illi opposui, quid porro faciendum sit, viderimus. De Gen. 49. 18. Vid. Diacrit. S. §. 256. (Quem locum quod intactum reliquerit & non illorum sententiam, qui à me

me dissentient, arripuerit, miror. Si enim dixisset, ⁷ hic non notare objectum, sed per Dativum explicandum esse, & mihi Job. VI. 19. Schmidii explicationem objecisset, quid facere potuisssem? Sed salva res est. Respondissem: verba sic esse vertenda: Vias Schebha quod attinet, exspectant illas. Ita & hic ⁷ objectum indicat.) De 2. Sam. XIII. 7. Vid. D. S. §. 68. Ibi quoque citat Gen. 38. 36. Sed est sphalma positum pro Ez. 36. 36. quod in D. S. §. 217. reperitur. De Gen. 31. 4. Vid. D. S. §. 221. Quæ omnia dum approbat, sua de anomalis decreta abrogat: Quia eadem pro anomalis agnoscit, quæ alii pro anomalis habent. Levit. 18. 21. p. 123. etiam hoc refert: Sed potest aliter resolvi, ut posterius he-mistichium sifstat *thesin* sub Tiphcha, & *rationem* sub Silluco.

§. XL. Quæ §. V. p. 125. habet, omnia ex Diacritica s. transcripta; sed non pari consilio. Ez. 12. 12. reperitur. §. 75. & 254. Ubi Jos. 2. 5. etiam habetur. Sed D. A. contradicendi studio ductus vult verba Ez. 12. 12. involuere idiotismum, quem latina lingua non ferat, & particulam (1) per germanicum Da exprimendum esse, adeoque affectum commotiones hic indicatas fingi. Hoc probat ex Jos. 2. 5. una scilicet fidelia duos parietes dealbaturus. Verum hic non est quæstio, quomodo vertenda sit particula (1); sed cur vox בְּעֵלָתָה, quæ ad antecedentia pertinet, ad seqq. referatur? 2) Particulam (1) in eo vocum nexu per Da vertare, satis ineptam reddit versionem. Der Fürst / so unter ihnen wird auf der Schulter tragen: Im Finsterniss da soll er ausgehen. Interroget suos Misericordios, elegantiori dialecto inter Germanos utentes, quid ad hanc Versionem dicant: aut proferat ex probato autore germanico exempla similia. Ego juxta Accentus sic mallem: Der Fürst / so unter ihnen / wird auf den Schultern tragen: Im finstern (wird er tragen) und weggehn. Interroget eruditos utram versionem malint.

3) Ad

3) Ad Jos. 2.5. frustra provocat: Nam ibi alia vocum conexio, alia Accentuum ratio. Quod vel Tirones hujus artis viderint. Tum quoque inepta est versio germanica: Quis enim sic loquitur? Da man die Thüre wolte zuschliessen; Im finsterniß/ da giengen diese Männer hinaus. Sic enim verba distingueda forent. Si maxima distinctio post Finsterniß poneretur, contra accentus peccaretur. Si בחרש ad antecedentia referendum, multo elegantius reddidit B. Lutherus: Und da man die Thür wolte zuschliessen/ da es finster wahr/ giengen sie hinaus. Cum בחרש hic sequentibus cohæreat, quæritur, cur illud fiat? & quomodo verba vertenda? Ubi respondet: Fieri hoc ad exprimendum affectum, quem diximus & verba ita vertenda: Et factum est, cum porta esset claudenda: nempe cum esset claudenda in tenebris, tunc illi viri exierunt. Als man die Thore schliessen wolte: Nemlich als man sie im finstern schliessen wolte/ da gingen die Männer hinaus. Sic (1) quidem per tunc vel da verti potest: Sed verba longe aliter cohærent, quam Ez. 12. 12. Quod qui non videt, nihil videt. Ez. 12. 12. vox ante (1) habet servum; Jos. 2.5. Dominum. Ibi vox, quæ à (1) incipit, habet Dominum; hic vero servum. Præterea scire pervelim, quid huic idiotismo, quem vocat, sit negotium cum Accentibus, aut accentibus cum illo? Si in בחרש es- set, major, quam in לְסֹגָר hoc modo: וְזֶה הַשּׁוּר לְסֹגָר nihilominus illud (1) per da exprimi potuisse. Cum vero accedat Termini distinctivi transpositio, non sufficit, de versione τε (1) sollicitum esse; sed restat quæstio de accentibus, cuià D. A. nondum satisfactum. Cum nos dicimus hoc fieri propter affectus, fingi hoc fingit. Sed tribuendum est hoc ejus contradicendi ardori, qui eum ita auffert, ut contra seipsum pugnet. Nam ipse alias concedit, Spiritum S. affectus indicare & voces magna consideratione dignas majore accentu insignire. Si sua

sua non putat esse ficta, cur nostra omnia ficta clamitat? Si nos, qui affectus & emphasis accentibus indicari dicimus, damnat, seipsum damnat, qui idem facit: Si se absolutum vult, idem nobis concedat oportet, qui idem sentimus. Sed quid multa? Sibi pariter & aliis contradicere perpetuum hujus Artis artificium est.

§. XLI. Dicta Es. 51. 1. & Jon. 3. 9. ex D. S. §. 74. desumpta. Qui videri & cum his conferri potest. Quia vero & hic anomalia sua rejicit, quia mea recipit. Dictum Esr. 3. 12. quod habet p. 127. seq. ex §. 255. Diacrit. s. ubi prolixo de illo egi, desumptum. Quanquam vero ea, quæ ibi disputavi satis clara, D. A. tamen displicant. Confugit enim ad idiotismum, quo infinitivus loco Nominativi ponitur, atque sic vertit: Et multi || ex Sacerdotibus & primatibus Patrum | seniorum | qui viderant| primum templum || cum fundatum esset || Cum hoc templum in oculis ipsorum, esset || fleverunt voce magna. Non hic dicam de inepta virgularum appositione, quæ, etiam si servos, juxta ejus mentem negligreremus, longe alia esse debebat: Nec de eo, quod extranea & non necessaria in Textum inferat, nempe *cum & esset*: Nec de eo, quod affixum (1) in בִּסְרוֹ negligat. Quæro tantum, an putet Capello hanc explanationem satisfacere? Concedit sic D. A. illud de templo priore intelligendum esse. Sive ergo vertatur, *cum fundatum esset*, sive *in fundari*, nihilominus de actu fundationis templi primi agitur. Et sic nondum satisfactum, est objectioni. Si quis regesserit, non de actu fundandi, sed de ejus effectu s. templo ipso fundato agi, probandum illud fuerit. Quod quibus argumentis fieri possit, videre gestio.

§. XLII. Nunc aliquid novi discere poterimus. Nam sic scribit: §. VI. p. 128. *Ex arbitrio suo autor accentuum multas voces distinxit quas alibi conjunxit*, ut adeo neque ex Grammatica vel

vel logico dictamine firma regula dari possint, sed tantum dictamen oratorium, euphonica nempe elocutio observanda sit. R. Ex arbitrio suo autor accentuum non multas, sed omnes voces distinguit, quoties plures conceptus & circumstantiae in aliqua enunciatione occurunt. Verum hoc arbitrium ἀλογόν esse, quis dixerit, nisi ἀθεος? Dictamen oratorium non negabimus. Sed doceat nos in qua schola & in quibus Rhetoricis aut Oratoriis didicerit, dictamen oratorium sine Logica & Grammatica esse posse? Euphonica illa elocutio, quam D. A. hic ex dictamine oratorio observandam esse vult, nonne erit distincta? Num vero distinctam habebimus sine Logica & Grammatica? Qui distincte loqui vult, non debet conceptus, qui juxta Logicam distinguendi, confundere, nec constructiones, quas Grammatica monstrat, divellere. Pronunciat aliquis orationis Dominica verba h. m. Pater noster qui es | in celis sanctificetur nomen | tuum adveniat regnum | tuum fiat voluntas | tua sicut in celo, ita & in terra &c. Hanc elocationem non feret dictamen oratorium. Cur vero? Quia non sequitur dictamen Grammaticum, dum voces constructas sine iudicio & causa separat. Nec sequitur dictamen logicum, quia conceptus distinguendos non distinguit. Si vero hic se nihilominus tueretur dictamine oratorio, quid dicemus? Anticyram ut naviget. Sed D. A. dabit nobis exempla, que neque ex dictamine grammatico, nec logico, sed ex arbitrio Oratorum gratam elocationem intendentium dijudicanda. R. Haec omnia ex Diacrit. s. fideliter descripta. Quod ipsi facillimum fuit, postquam ego non sine labore talia congesseram. Sed & querere possem, cur altera elocutio altera sit gravior? quam causam si nobis explicaverit, mirum ni in proprias hypotheses incurvaverit. Et cur dicit haec neque ex dictamine grammatico, nec logico dijudicanda, cum in omnibus distinctio utrumque dictamen

sequatur? Si SS. Theol. D. & Professor P. O. ita in Logica
 exercitatus esset, ut hoc non videret, vel tirones Logicæ
 hoc docere possent. Exempla ex Gen. XI. 9. & Cap. XXI.
 31. habet Diacrit. S. §. 244. In priori כִּי שָׁם בְּלֹא יַחֲזֵק di-
 stinguitur adjunctum loci sub Tbhīr & actus sub Tiphcha.
 In posteriori: כִּי שָׁם נְשַׁבְעַת נְשַׁבְעַת habemus Prædicatum
 intimatum sub Tbhīr, explicatum sub Tiphcha & merca,
 & Subjectum sub Silluco. Quæ omnia tam aperta, ut non
 videam, qui hæc ab homine docto in dubium vocari possint.
 Si forte כִּי שָׁם illi negotium facessunt, Vid. Diacritica S.
 §. 63, 92, 213. Idem judicandum de reliquis. In exemplo
 ex Gen. 21. 4. contradistinguitur Prædicatum, (quod fisset
 modum sub Tbhīr & actum sub Tiphcha) Subjecto, sub
 Silluco. Gen. XX. 13. etiam Prædicatum, in quo actus sub
 Munach cum Darga, & objectum, sub Rbhia, est contra-
 distinctum Subjecto sub Sarca Jos. 18. 11. in priori intimatur
 sub Itibh, quod ponitur sub Sakeph; in posteriori ponitur
 sub Tiphcha & merca generalius, quod restringitur s. spe-
 cialiis explicatur sub Silluco. Vid Diacrit. S. §. 197. Reli-
 quia exempla omnia dat Diacrit. S. §. 147. Jer. 25. 27. est
 actus materialiter sub Tbhīr, formaliter sub Athnach Conf.
 Diacrit. S. §. 220. a. p. 124. & §. 229. Et est hoc, si accentus
 sequi velimus, sic vertendum: Quos mittam ego, mittam
 inquam ad vos. Gen. 5. 26. actus ille distinguitur ratione
 sexus. Vid. Diacrit. S. §. 220. a. 2. Chron. 24. 3. distinguitur
 actus & effectus. De Hag. 2. Vid. Diacrit. S. §. 243. 1. Sam.
 5. 8. habemus actum antecedentem sub Pas̄er & sequentem
 formaliter sub Tlischa, materialiter sub Geresch v. ii. distin-
 guitur actus uterque junctim sub Geresch & objectum.
 Jer. 5. 17. distinguitur in aliis actus & objectum; in aliis
 actus multiplicatur ratione objectorum. Vid. Diacrit. S. §.
 220. a. Ex quibus, nisi me omnia fallunt, satis superque-
 videmus, Spiritum S. nunquam & nusquam dictaminis
 logici

logici oblitum esse, adeoque D. A. frustra pro suo dictamine oratorio pugnare.

§. XLIII. Quæ §. VII. 132. de parenthesi ad posterius membrum referenda habet, etiam ex Diacrit. S. desumpta: cum ante me nemo hæc observaverit. Ex eodem fonte etiam illa de τελική obseruatio profluxit. Frustra ergo in Præfatione jactat, se non ex aliis hausta; sed ex quotidiana Codicis Hebræi lectione per plures annos continuata observata tradere.

§. XLIV. Quia nullum exclamationis signum reperiatur, docet §. VIII. p. 133. membrum cum exclamatione legendum, eodem modo accentibus distingui, ut alia membra. Hoc non negatur. Sed quærimus, quid opus sit, hoc capite illud docere, in quo de peculiaribus modis agitur? Quid ea, quæ communiter sunt, inter singularia? Fortasse ut oves aberrantes in peregrinum stabulum devenerunt. Sed hæc transeant cum multis aliis. Perpendamus §. IX. p. 134. cuius verba hæc sunt: *Nomina propria per appositionem connexa, quandoque euphonica lectionis gratia distinguuntur. Hæc opposita sunt Diacriticæ. S. §. 239. ex quo etiam, ut solet, exempla adducta desumpsit. Addidit tamen, ne plane οἰστόμολοι effet, Gen. 28. 19. & nomen antiquum urbis Bethel vult fuisse Ulamluz. Scilicet, τὴν Θέσιν διαφυλάττω maluit deserere B. Lutherum, præstantissimos Philologos, ipsam S. Codicis explicationem Gen. 35. 6. c. 48. 3. Jos. 18. 13. Jud. 1. 23. Accentus, quin etiam proprias hypotheses & fundamentum primum, quod in Præfatione jecit, quam non sequi græcam versionem, de qua, ut cujusnam sit, hodie nemini certum, sic in plurimis fallere, certissimum. Si vero urbis hujus nomen Ulamluz fuit, quæsiverim, cur vir ille, quem Josephi posteri, urbe hac expugnata, vivum liberumque dimiserunt, urbem quam statuerat, Luz, non vero Ulamluz vocaverit? Num verum urbis nomen ignorabat? An vero*

vero perperam perplexo nomine urbem suam appellare volebat? Quod reliquos locos attinet, non debebat, his simpliciter suam thesin opponere, sed rationes apponere, aut tamen rationes meas revellere; non vero, τὸ οὐνόμενον loco mediī assumere. Quid vero? Num non videmus rationem illius? Euphonicae lectionis gratia fit haec distinctione. Quae vero est euphonia, nomina propria divellere & in medio subsistere? Quid gratiae aut elegantiae in hac lectione? aut ubi fundatur? Fortasse in ἀλογῷ illo dictamine oratorio, quod paulo ante §. XLII. vidimus. Miri ergo homines sunt illi, qui pueros legere docentes, euphonicam hanc & gratam lectionem alapis colaphisive excipiunt. Sed quid faciemus? Si sibimet ipsi non parcit, sed identidem contradicit, (cujus exempla multa habuimus & habebimus) quid mirum, si & aliis contradicit?

§. XLV. Superato Capite IX. devenimus ad X. ubi §. IX. p. 140. agit de Paser metrico; sed ita, ut veris falsa misceat & vera imperfecte proponat, ut Lectori prodeesse nequeant. Sub Rbhia & Tiphcha anteriori occurrit ordinarie Paser in majoribus; extraordinarie in minore. Sed cur omisit Sarca, sub quo eodem modo adebet? Sub Rbhia gereschato occurrere Paser non memini. Producat ergo exempla. Objici quidem possunt Ps. 58. 3. Ps. 146. 1. Prov. 1. 10. Sed, si haec ordinarie distinguenda, erit Paser magnus Silluci: Si vero D. A. haec extraordinarie distinguere vult, iterum sibi contradicit: quia anomalias rejicit. Sub Silluco distinguit, ut modo diximus, Paser, sed debuisset addere, quo illud modo & quibus conditionibus fiat. Utrum in minore, an in magna, an vero in majore? Nisi enim haec explicata fuerint, Lector incertus manet.

§. XLVI. Nec minus §. X. p. 141. Vera falsis miscet, & vera imperfecte proponit. Psik cum Schalscheleth sub Silluco occurrit. Debuisset vero & hic addere ubi & quibus

bus conditionibus. Sub Athnach & Rhbia Gereschato
nunquam adest. Exempla, quæ objicere potest, aliter sunt
resolvenda. Vid. Diacrit. s. Tabula Metr. E. 8. & N. 6. quod, qui
fundamentum distinctionis recte cognoverit, non negaverit:
ανομάλως vero illa distincta esse, non potest afferere, cum
hoc sit contra ejus hypotheses, omnia anomala respontis.
Deinde quoque in dubiis analogum semper prævalet.

§. XLVII. Psik §. XI. p. 141 agnoscit pro distinctione
minore, quod tamen etiam in magna adest. Vid. Diacrit.
s. Tabula Metr. H. I. K. 8. Si hoc autem verum, cur toties
in seqq. Psik cum apposito accentu ad servos refert? De
Psik cum Kadma. Vid. p. 159. seq. De Psik cum Merca.
p. 164. De Psik cum Mahpach ibid. & p. 167. 170. seqq.
Paserum cum Psik occurrere constanti Codicis Hebræi au-
toritate vix probabit. Ego sane nullum exemplum inve-
nire potui. Doceat ergo ubi occurrat. Interim videmus
nusquam tutam in hac arte fidem, cum, quæ uno loco
afferuntur, alio loco vel verbis vel facto destruantur.

§. XLVIII. De quantitate pasuci metrici agit Cap. XI.
§. I. p. 143. quæ conferri possunt cum Diacrit. s. §. 42. seqq.
§. II p. 144. scribit, se non curare cantum, sed *tantum*,
distinctam lectionem. Miror ergo, quid sit causæ, quod
variis locis sic pro usu musico pugnet, illumque Rabbino-
rum testimonis statuminare laboret. Merito de ejus labo-
re dixerimus illud rabbinicum. *אבלת בם אירום ותעלין חרס ברוך*
§. III. iterum tres pasuci pausas statuit, atque
sic pro *r̄eḡoropla* pugnat. Cum vero supra ad Cap. III. §. III.
de illo dictum sit, hic nihil addo.

§. XLIX. Membrum Silluci quandoque arctius cum sequente
coherere, quam cum antecedenti membro athnachi statuit §. VII.
p. 150. De quo jam supra §. 22. actum. Est vero accurate
his distinguendum inter distinctionem & interpunctionem.
In distinctione quidem interdum materæ cognatae divel-
luntur.

luntur. Quod D. S. §. 48. docet. Sed in interpunctione semper accentus suam vim retinent, ut verba ejusdem pasuci cohærent. Unde, si quid alteri parti deest, illud ex contextu supplendum. Exempla à D. A. adducta, non sunt ita comparata, ut thesin ejus probare possint. Quod, qui ea, quae in fine paragraphi adducta, examinat, facile viderit. Locus ex Ps. 95. 7, 8. videtur quidem pro illo facere; sed videtur tantum: Quando accuratius consideratur, contrarium appareret. Monstraverat hoc D. S. §. 267. sed hunc §. per summam injuriam mutilavit, atque hujus Dicti, aliorumque quorundam locorum explicationem omisit. Cum itaque hoc Dicto potissimum D. A. nitatur, aliquid de illo dicendum fuerit. v. 7. continet rationem illorum, quæ v. 6. dicuntur, & quidem specialiorem, quam v. 6. potuerat. Ibi creationem loco motivi adduxerat. v. 7. vero specialia beneficia adducit, quæ Deus huic populo exhibuerat, nempe, quod præ aliis benevolus illi sit & beneficus, sed hac conditione, si vocem ejus audiverit. Generaliter enim, hæc verba intelligi nequeunt: Sic enim Deus est omnium hominum. Quid? omnium creaturarum Deus: Sed sunt intelligenda specialiter. Specialis vero hæc relatio omnino illam conditionem includit. Unde verba illa sic vertenda: *Quoniam ipse DEus noster: & nos populus pascui ejus, & grex manus ejus; Hodie (vel in hunc usque diem etiam vos populus ejus esis) si vocem ejus audiveritis.* Nam quoniam hæc verba in eodem pasuco reperiuntur, debent etiam ita explicari, quantum fieri potest, ut respectum ad se habent. jx. D. S. §. 46. Atque sic in priori hemistichio explicatur relatum s. descriptio Dei, quod ille peculiari quodam modo Deus illorum: in posteriori sistitur correlatum s. descriptio hominum, quorum ille Deus. Et quidem, in priori membro, quid sint; in posteriori membro, qua conditio illud sint. Seu, habemus sub Athnach conditionatum;

fub

sub Silluc conditionem. Et quia posterius hemistichii mem-
brum tales circumstantias continet, quæ per se non cohæ-
rent, ex antecedentibus aliquid est repetendum jx. D. S.
§. 220. ¶ Conf. supra §. 25. Verba sic explicata belle cohæ-
rent. Cum antecedentibus cohæret paſucus VII. ut dixi-
mus. Cum ſeqq. vero ita cohæret: Qui Deum propitium
non habere, nec populus ejus eſſe poſſunt, niſi vocem ejus
audiant, non debent obfirmare animum ſuum pertinacia
ſ. Qui populus Dei ſunt ea conditione, ut audiant vocem
Dei, non debent obfirmare cor ſuum. Sic videmus v. 8.
continere conſectarium ex v. 7. elicitum. Quod in ſeqq.
porro probatur exemplo illorum, qui inobedientiam ſuam
impune non tulerunt. Obſtare videtur mutatio personæ:
Nam in priori membro posterioris hemistichii loquitur in
prima persona, in posteriori, in ſecunda. Sed quis nescit,
hanc personarum Enallagen eſſe uſitatam in Sacris literis
cuni Büxtorff. in Thesaur. Gram. & Glassius in Philol. S.
jam dudum exempla monſtraverint? Nec fruſtra hic ad-
hibetur. Haſtenus in prima persona locutus fuerat: Ne
vero auditores putarent, Davidem hic tantum de ſe, ſuique
ſimilibus loqui, orationem deflectit ad omnes auditores, ut
ſcirent, neminem excludi, niſi qui ſua ipſe ſe inobedientia
excluderet. Tum quoque volebat illos dehortari ab ino-
bedientia. Quo igitur oratio eo facilius in aures & animos
influeret, personam mutat, dum adhuc de commodo pie-
tatis loquitur, ut, cum poſtea de impietatis danno loqui-
tur, eo magis moverentur, non ſolum metu peccati, ſed
etiam amore ejus, qui ipſos omnes in populum ſuum reci-
pere volebat. Ad Ebr. III. 15. fruſtra provocatur. Satis
patet verba illa ex τὸν LXX. verſione, ut interdum fieri
ſolet, in N. T. eſſe deſumpta, nec ad ipſa verba, aut illorum
connexionem reſpici. Scriptores N. T. in tali caſu ſenſum,
quatenus proposito ipſorum ſervit, exprimere ſolent,
etiamſi

etiamsi versio Fonti accurate non respondet, dummodo res ipsa, ad quam principaliter respicitur, sit in Textu. Si enim hic ipsa verba *אֶלְעָזָר* exprimere voluisse, multa mutanda fuissent. Ut itaque non sequitur, in Græca Versione habentur appellativa; ergo etiam in Fonte: Nam *מִרְוֶבָה* & *מִסְתָּרָה* ibi sunt Propria: ita non sequitur: in Græco non est magna distinctio, ergo nec in Ebræo. Ut vero aptissima horum verborum connexio, adeoque & ipsius rei veritas eo magis pateat, sistamus illa in Tabella: Est hic relativa descriptio.

I) Dei	^א intimata	^ב posita	^כ
II) Hominum ubi	^א conditionatum	^א ponitur se- ^a Subjm.	^a
		^b cundum	^b Præd.
		^ב וְזַעֲןָן יוֹם	^ב illustratur
	^ב Conditio	^a adjunctive.	^b חֵיָם
		^b in se	^a אֶם-בְּקוּלָה הַשְׁמָעוֹ :

Non nescio alios Codices in *אלְעָזָר* habere Rhbia, sed spuriū illum esse nullum est dubium. Loco servi in *חֵיָם* ponitur Jerach & in aliis Codicibus Mahpach. Uterque hic sub Merca mahpachato locum habet; neuter vero sub Rhbia reperitur. Minor hic est Sarka, quem sub Rhbia nunquam occurtere, nemo nescit, nisi, qui hujus artis plane rudis: Sed Mercæ mahpachati ordinarium esse, Codex s. testatur. Est vero haec accentuatio valde emphatica. Sub Silluco duæ circumstantiae non cohærentes in unum membrum rediguntur. Quo indicatur indesinens illa favoris divini cum pietate connexio; quamvis coram mundo non semper appareat, in quo dilectissimi saepe afflctissimi. Macceph post *בְּנָה* notat promtitudinem piorum ad obediendum Deo, & delectationem, quam in studio pietatis sentiunt jx. Ps. i. 2. Vid. Diacrit. s. §. 248. Et hoc addendum putavi, quamvis sciam,

sciam, me à D. A. parum gratiæ initurum. Erunt vero alii, quibus tales meditationes non omnino displicebunt.

§. L. Putat D. A. ut Cap. XII. videre est, sub Merca mahpachato quatuor subdistinctivos occurrere: sed quarti nullum datur exemplum. Adducit quidem pro illo Ps. 42. 5. Ibi vero Codices variant. Alii habent Munach superiorem in שְׁפָכָת. Qui etiam hic locum habet jx. Diacrit. s. Tabula Metr. s. 4. β. Alii Sarca, qui est pro Mapach sarcato & tunc legendum est | יְלִיעַ jx. lc. s. 4. α. Sarca distinctivum, aut Rhbia sensus non patitur, nisi anomalam distinctionem, à qua D. A. abhorret, hic statuere velimus. Sic vero versio alia requireretur, quam quæ à D. A. posita. Nam, quia à verbo שְׁפָכָת duæ circumstantiæ per se non cohærentes, avelluntur, illud verbum ad seqq. repetendum, esset h. m. Hæc recordabor & effundam, super me *inquam effundam* animam meam. Quia vero anomala, sine evidente causa, quæ hic desideratur, non statuenda, atque versio D. A. ad aliena dilabitur, dum מְשֻׁנָּה ponit in Vocabitivo & Psik Kadmatum in יְלִיעַ pro servo habet, cum in tali consecutione non occurrat, nec propriæ ejus hypotheses illum patientur, Vid. Cap. X. §. XI. p. 141. merito in שְׁפָכָת servum retinemus. Præterea ad ejus versionem illud quoque notandum, quod ס minus recte intelligatur de operimento sabbathi. Ex. 2. Reg. 16. 18. illud non potest probari: Nam ibi non reperitur ס sed מְסֻׁךָ quod ס legitur. Quæ vocabula non sunt confundenda. Obstat quoque affixum אֲרוֹם quod ad nihil aliud referri potest, nisi ad ס. Vult ire in turba, & illos, qui in turba illa ambulant, comitari. Genuina ergo verborum versio hæc erit: Hæc recordor & effundo super me animam meam (h. e. anxie desidero) ut transeam in turba mixta & comiter illos (sc. in turba mixta euntes) usque ad domum Dei &c. §. II. p. 155. agit de servis: Sed hoc fit imperfectius,

quam, ut discentibus prodeste possit; cum nullae conditio-
nes addantur; sine quibus discentes semper fluctuant,
nescientes, quem eligere debeant, aut cur hic & non aliis
ponatur.

§. LI. Quid vero Cap. XIII. discemus? Quod in porta
impingat. Nam §. I. p. 156. ponit inter subdistintivos Ath-
nachi Paser cum schalscheth, sed sine exemplo. Quæ D. A.
adducit, ^{ישׂאו חֲרִים} ^{לעַמּוֹן} sic jx. wasmuthium resolvenda: Afferunt mon-
tes | pacem || populo || Quem ego sequor. Vid. Tabula
Metr. Cap. 6. γ & δ. Ratio, quæ me movet est, quia שָׁלוֹם
^{לעַמּוֹן} non construuntur, unde ordinarie distinguuntur.
In dubio vero ordinarium est favorabilius. Si vero D. A.
hæc jungere voluerit, sibi contradicet: cum anomalias
rejiciat, nec quoque anomalon hic esse probare possit.
Idem judicandum de Prov. 6. 27. Ibi enim ultimum בְּחִיקָן
non cum שָׁנָה sed cum verbo חִוְתָּה construitur. Occur-
rit ibi quoque Munach, qui inter servos Athnachi locum,
non habet. Idem dicendum de Prov. I. 9. Nullo enim
exemplo probabitur, illos sub Athnach servire. Hæc duo
vero, cum constituant κενόνευον loco mediis adhiberi neque-
unt. Paser quoque ad subdistintivos Athnachi sine funda-
mento refertur, cum nec hic exempla dentur Ps. 45. 8.
satis imperite hoc refertur: Nam אלֹהִים אֶלְחִיךְ nisi sensum
pervertere & non constructa sine causa pro constructis
habere velit, sunt distinguenda. Atque sic Munach in-
^{אלְיוֹנָה} non est servus, sed distinguis. jx. Tabula Metr.
C. 6. a. cuius minor extraordinarius est Paser jx. L. 6. ε.
Si vero Paser minorem Athnachi esse vult, hic sibi quoque
contradicet, quia sic anomala concedere cogitur. Obstat
quoque illud D. A. quod Munach servus sub Athnach non
occurrat, nisi adsit in minore Tiphcha. Cum ergo hic
alius adsit, Munach inferior Dominus erit. Ps. 109. 16. Paser
non

non est sub Athnach, sed sub Tiphcha, qui ibi requiritur & in correctioribus Codd. etiam adest : unde & Hooghtius in margine illum ponit. Et ille Tiphcha est subdistinctivus minor τὸς Munach. jx. F. 5. Munach vero est distinctivus minor Silluci. jx. Tabulæ Metr. A. 6. β. a. Quod non solum ex eo patet, quod בְּבָבְ לִמְוֹתָה non construantur ; sed etiam, quod ea, quæ sub Munach usque ad Merca Mapachatum occurrunt, magis cohærentia ultimæ voci לִמְוֹתָה contradistinguuntur, ut actio suo fini. Ex quibus omnibus patet Tabulam p. 157. positam fallere. Falsum quoque, quod §. II. p. 158. afferit, omnes servos, præter Jerach & Kadma servire Athnacho ; cum nec Munach superior illi serviat. Quæ ex Prov. 6. 27. c. I. 9. objici possunt, illa paulo ante fregimus. Verba Ps. 65. 2. ab aliis aliter resolvuntur בְּנֵי אֶלְחִיטָן זְדֻמְתָּה תְּהִלָּתָךְ Tibi silentium est laus || o DEus || in Zijon || Non enim hic duo ultima construuntur, cum non doceatur, ubi DEus sit, sed ubi laudetur. Si vero Merca-Sarcatus in אֶלְחִיטָן esset servus & Schalscheleth sub Athnach distingueret, non constructa cohærerent. Quod non est admittendum, nisi stringentes causæ præsto sint. Ne dicam hoc esse contra ipsius hypotheses, qui anomala rejicit. Ps. 37. 1. Ps. 138. 1. putat Pfik cum Kadma esse seruum, quod contra proprias assertiones Cap. X. §. XI. p. 141. & quoque ex eo refutatur, quia in voce non constructa, adeoque distinguenda reperitur. Quod tam clarum & tam perspicuum, ut mirum sit, homines doctos & quod magis mirum, artifices in sua arte & contra principia suæ artis sic errare posse. De Ps. 14. 5. idem judica. Nam & ibi contra Cap. X. §. XI. p. 141. Pfik eum Kadma ad servos refert. Ps. 2. 7. tres servos statuit, cum tamen, si omnes servirent, non nisi duo adsint. Nam Merca-Sarcatus est compositus & stat pro uno. Quod ipse D. A. agnoscit, dum Ps. 136. 15. tres ponit, quorum remotissimus

tissimus est, (non Merca-Sarcatus, ut ille vult, sed) Mahpach-Sarcatus, cuius eadem est ratio. Si Ps. 2. 7. stat pro duobus, cur non & Ps. 136. 15. Aut si Ps. 136. 15. stat pro uno, cur non Ps. 2. 7. Sed non est mirum, quod sic sibi contradicat, cum passim videre sit, quam inconsiderate hæc studia tractet. Ps. 102. 5. בָשֵׁב cum sequente non construitur, unde distinguitur & per consequens etiam Munach in בָשְׁוּי distinguit: quia Munach in antepenultima Athnachi non distinguit, per ea, quæ habet hæc ars Cap. V. §. XVI. p. 77. ab initio (Vid. Diacritica s. Tabula Metr. Cap. 6. a. L. 6. β.) Idem valet de Ps. 78. 24, 27. Ps. 32. 2. Quia tres ultimæ voces non construuntur.

§. LII. Ut capite præcedente sub Athnach, sic etiam hoc Cap. XIV. §. I. p. 161. sub Rbhia gereschato, sine omni fundamento ponuntur Schalschelet & Paſer. Exempla ab illo adducta male resolvuntur. De Ps. 137. 9. judicandum jx. ea, quæ ad Athnach diximus. Cum enim Rhbia gereschatus loco Athnachi ponatur, & subditos ejus, vel tamen similes habeat, etiam eadem hic illorum est conditio, quæ sub Athnach. Quamvis ultimæ duæ voces construantur videmus tamen ultimam sistere objectum utriusque præcedentis actionis, adeoque etiam illi contradistingui posse. Ponitur hic Munach superior pro Mahpach sarcato: quia compositione non habet locum. Ille vero sic, ut Merca sarcatus, est distinctivus, nec unquam sub Rhbia Gereschato servit. Quod Ps. 68. 15. videre est, ubi in voce non constructa occurrit. Ut ergo hæc verba מִלְכִי־ בָה בְּרַשׁ שְׂרוֹן distinguntur: Cum dissipat omnipotens Regis II in illa III sic etiam אֲשֶׁר־ שָׁאֵת אֶת־ עֲוָלֵי parvulos tuos III. Nam de paribus par esto judicium: Et qui succedit in locum, succedit in jus. Quid de Paſer sentiam, explicat Diacrit. s. §. 333. 5. Occurrit cum Rhbia gereschato Ps. 25. 1. Ps. 58. 3. Ps. 146. 1. Prov. 1. 10. Ratio, quæ me movit,

movit, ut illum Paser Silluco subjiciam, non vero τῷ Rbhiæ Gereschato, est, quia in omnibus his exemplis voces à Silluco ad Paser magis inter se cohærent, quam cum voce, in qua est Paser. Si ergo τῷ Rbhiæ Gereschato tribueretur, fieret illud per anomaliam; Hæc vero sine evidente ratione non est statuenda, nec D. A. illam admittere potest, nisi proprias hypotheses evertere velit.

§. LIII. De servis hujus Rbhiæ gereschati agit §. II. p. 163. ad quos etiam refertur Munach superior Ps. 137. 9. Sed quo jure illud fiat, ex illis, quæ §. præcedente diximus, patet. Ps. 31. 6. Merca distinguit: quia אָתִי יְהוָה non construuntur. Vid. Tab. Metr. D. 6. a. b. 2. Ps. 55. 6. בְּמַטָּה עַל־אָזְןִי Merca in penultima distinguit jx. D. 6. a. b. 1. nam ultima duo vocabula non construuntur. Ps. 66. 20. est varia lectio: genuina est וְהַסְרֵה תְּפִלָּתִי — לֹא — חֲסִיר אַשְׁר Qui non recedere fecit orationem meam & gratiam suam non fecit recedere jx. D. S. §. 220. a. & Tab. Metr. D. 6. a. b. 1. Fingit vero hic tres servos, cum tamen, si Merca sarcatus hic servus esset, non nisi duo adessent. Nam stant pro uno, cum Macceph implicito: quia Sarca extra compositionem numquam servit. Ps. 119. 52. tres numerat servos. Ubi sui iterum oblitus est. Si verum est, quod Ps. 66. 20. sint tres, ut modo volebat, hic erunt quatuor: aut si hic Mahpach sarcatus stat pro uno, cur non Ps. 66. 20.? Quamvis si verum fateri velimus, Rbhia gereschatus hic nullum servum habeat הַזֶּה non construuntur: Ergo distinguenda. Deinde illud probo ex ipsius D. A. hypothesi Cap. X. §. XI. p. 141. Ubi vult Psik cum merca esse distinctivum minorem. Cur ergo hic sibi contradicens servum ex illo facit? Ic. quoque Psik cum Mahpach facit distinctivum. Ergo Psik cum Mahpach sarcato hic quoque distinguet & quidem ut minor τῷ Psik cum merca (Conf. Tab. Metr. D. 6. a. b. 2. & M. 6. γ.) versio ergo hæc erit: Recordabor iudicia tua quæ à seculo ||

¶ Domine ||| Ps. 18. 1. Quatuor servos statuens iterum errat,
dum Merca sarcatum divellit in duos, & Merca sarcatum pro
servo habet, qui tamen distinguit: quia אָרוֹן מִכְרָה non constru-
untur: Versio verborum hæc erit: In die quo eripuit Dominus
ipsum ex manu omnium inimicorum ejus || Nec est, quod
hic quis objiciat אָרוֹן יְהוָה non construi, adeoque non posse
sic jungi: Nam אָרוֹן יְהוָה habet per Macceph sibi copulatum
לְעֵינָיו, cum quo אָרוֹן construitur. Quod sufficit. Vid. D. S.
S. 56.

§. LIV. Qui rectam viam amisit, quo magis recedit, eo
magis errat. Hoc videmus etiam in D. A. qui via & metho-
do sua procedens suasque hypotheses sequens errat, usque
ad finem pasuci, quem Sulluc occupat. Hujus distinctivos
Cap. XV. p. 165. explicaturus inter illos etiam ponit Schal-
scheleth & Pasér: Sed minus feliciter utrumque. Pro Schal-
scheleth adducit Ps. 125. 3. Ad hunc lapidem & alii impege-
runt: Sed alter lapsi. Facile apparet D. A. verum accen-
tuationis fundamentum vel ignorare vel non curare. Vox שְׁלָתָה non construitur cum ultimo וּרְאֵם unde ordinarie
distinguitur, ergo Munach superior in illa est distinctivus.
Nec קְדִימָה cum sequente construitur, ergo hæc vox di-
stinguitur. Unde & Pfik cum Kadma adest, q. ordinarie di-
stinguit jx. Cap. X. §. XI. p. 141. (Ex quo patet, quod sibi
contradicat, dum p. 168. illum servum esse vult.) Nunc
quæritur, uter major? Quia שְׁלָתָה וּרְאֵם non construun-
tur, junctim voci קְדִימָה contradistinguiri nequeunt, nisi
anomalias statuere velimus, quas D. A. dudum in exilium
misit. Ergo Munach superior erit major, quam Pfik cum
Kadma. Hujus servus est Tiphcha jx. S. 4. v. Sic videmus
membrum penultimum hic non habere Schalscheleth. Quæ-
ritur ergo, cuius dignitatis sit? Erit vel magnus Silluci, vel
magnus Munachi superioris, vel minor τ&g Pfik cum Kadma.
Ultimum statuere non possumus: Cum Pfik cum Kadma
nullos

nullos subdistinctivos minores agnoscat. Sub Silluco alias quidem Schalscheleth in magna occurrit jx. Tab. Metr. A. 8. γ. Sed tunc semper in minore est Munach inferior & Athnach praesens in majore jx. A. 6. β. b. & 8. γ. quorum neuter hic adest. Restat ergo, ut sit magnus Munachi superioris. Adest quoque Pasor sub Silluco, ut D. S. §. 333. 5. monstrat. non vero in minore, sed magna. Ps. 18. 2. Ps. 30. 1. Si D. A. hypothesi suae serviens hunc pro minore habet, debuisset Lectorem monere, quo id modo & qua conditione fiat. Alias discentes facile in errorem induci possunt. Cum vero hoc non fiat, nemo non videt, quam imperfecta haec tractatio.

§. LV. Servos Silluci §. II. p. 166. monstraturus unius servi praesentis conditiones ponit. Sed illa doctrina partim imperfecta, partim obscura. Imperfecta est, quia non omnes servi explicantur, nec omnes conditiones Munachi praesentis ponuntur. Vid. Diacrit. s. Tab. Metr. 4. Obscura est, quia non liquet, utrum de tono Silluci, an vocis servilis, an vero utriusque loquatur. Exemplum, quod ex Ps. 54. 9. adducitur, non quadrat regulæ: Est enim ibi ante tonum syllaba, quæ nulla esse debebat. Tum quoque ille Munach ibi irrepsit. Unde rectius alii Codices ibi habent Merca. P. 167. ponit sub Silluco duos servos Merca & Tiphcha, qui nusquam reperiuntur. In quibusdam Codicibus Merca quidem irrepsit in penultima, sed correctiores habent Munach distinctuuentem: quia ultima duo vocabula non construuntur. In omnibus illis exemplis, quæ D. A. adducit, Hooghtius habet Munach. Hic etiam semper adest in penultima Silluci, cum Schalscheleth in quarta jx. Tab. Metr. A. 8. γ. Quod inductio ne omnium exemplorum probari potest. Ps. 3. 5. Ps. 13. 2. Ps. 18. 2. Ps. 67. 5. Ps. 79. 1. Ps. 140. 6. etiam Munach in penultima distinguit voces non constructas. Ps. 18. 20. frustra putat duos servos occurtere: nam Merca sarcatus stat pro uno. Quod & iupra

& supra aliquoties vidimus. ps. 3. 3. quia ultima verba non construuntur, sic distinguitur : אָין יִשְׁוֹתָה | לֹא בָּאֲרַהִים | סְלָה Non est salus illi || in Deo || Selah ||. Nec ps. 81. 1. ultima duo construuntur, unde Munach superior in penultima distinguere censetur : quia nullibi commodi conceptus desunt, quibus vox illo notata efferri potest. ps. 78. 20. non occurunt, quos citat. Prov. 8. 13. Munach superior distinguit. Hoc patet non solum ex eo, quod ultima vox omnibus reliquis usque ad Mercam mahpachatum contradistinguitur, ut actus suis objectis; sed etiam, quia Tiphcha anterior in correctioribus codicibus loco minoris comparet. Præterea ultima duo vocabula non construuntur. ps. 28. 8. ps. 54. 8. tantum abest, ut tres adsint servi, ut ne unus quidem reperiatur. Nam quia nec penultima cum ultima, nec ante penultima cum penultima construitur, Munach, in penultima distinguit jx. Tab. Metr. A. 6. β. b. cuius denuo minor est Tiphcha jx. L. 6. α. cum servo Mahpach sarcato jx. P. 6. α. Qui reliqua hujus capitinis exempla examinaverit, deprehendet, non omnes servili munere fungi. Et quamvis in uno aut altero exemplo voces conseruerentur, secundum plura tamen de paucioribus judicandum. De ps. 125. 3. paulo ante prolixius egimus.

§. LVI. Versio ps. 45. 13. quam Cap. XV. §. 1. p. 169. ponit, non est satis accurata. Psik cum Kadma distinctivus jx. hujus Artis Cap. X. §. XI. p. 141. adest loco servi in שִׁיר jx. Tab. Metr. k. 4. quæ vox cum sequente non construitur, & tamen hic cum illa in unum membrum compingitur, niempe Subjectum cum parte Prædicati. Quod anomalon & extraordinarium esse, ex D. S. §. 226. colligitur. Ordinaria distinctione esset hæc: Filia Zor || cum munere | faciem tuam deprecabitur |||. Indicatur vero promptitudo Tyriorum & Gentilium ad dona in Dei gloriam & Ecclesiæ emolumen- tum conferenda. Quæ dona, dum in illis subsistit, miratur.

Ut

Ut hoc $\pi\alpha\theta\sigma$ in versione quodammodo exprimatur, retrahendum est ex sequenti membro verbum h. m. Filia Zor, precabitur cum munere | faciem tuam deprecabuntur (sc. omnes Tyrii s. Gentiles) || Quæ in Sacris reperimus, etiam si minima videntur, negligere, non est Christiani. Si vero hæc emphasis attendenda, aliter exprimi non potest. Si vero quis melius potest, doceat, prompti sequemur. Verba Ps. 4. 3. sic distingueda: Filii hominum || quamdiu gloria mea erit in ignominiam ||| quamdiu amabitis vanitatem? ||| מה non constructum cum כבָר ergo distinguendum. Et quamvis servus Munach vel rectius Mahpach ut in aliis Codd. jx. Tab. Metr. K. 6. β.) in illa voce ponatur, non tamen hoc præjudicat distinctioni. Illud ad posterius membrum quoque pertinere, adeoque in versione repetendum, recte putat D. A. quamvis in eo fibi ipsi contradicat, suasque hypotheses subvertat, quas Cap. IV. §. VII. & Cap. V. §. XVII. p. 80. posuit. Quia vero ipse h. l. aliiquid repetit, nec nobis vitio vertere potest, quod Ps. 45. 13. aliiquid repetivimus. Ad ea, quæ habet §. II. p. 170. breviter respondeo. In plerisque reperiuntur Psik cum Mahpach vel Kadma. Qui cum sint distinctivi jx. Cap. X. §. XI. p. 141. male ad servos referuntur. Ps. 118. 25. Job. 25. 15. non reperiuntur, qui hic ponuntur. De Prov. XI. 26. 27. Vid. Diacrit. S. §. 270. n. p. 174. Ps. 14. 1. Munach distinguit: quia נְכָל בְּרַכָּה non construuntur.

§. LVII. De subdistinctiis τοι Sarca Cap. XVII. non satis accurate lectores informat. Ponit loco minoris Pasfer. Quod exinde falsum reperiatur, quia Psik cum Kadma, quam hæc Ars Cap. X. §. XI. p. 141. pro distinctivo minore habet, sapienter occurrit, quam Pasfer. Pasfer vero est ordinarius magnus. Si vero contra principia sua hunc Pasfer distinctivum minorem esse, omnino vult, debuisset tamen hic Lectorem informare, utrum id immediate, an vero mediate fiat.

fiat. Aut si utrumque fieri posset, quibus conditionibus quovis loco adhibeatur. Quod cum non fiat, hic quoque Ars deficit & Lectores incerti dimittuntur. In explicatione servorum eundem errorem, quem in præcedentibus, errat: Nam hic quoque in plerisque exemplis Psik cum Kadma vel mahpach adest, quem ille, contra propria principia servire statuit. Conditions quoque, quibus Merca servit, omnes non recenset. De Ps. 68. 21. Vid. D. s. §. 270. x. p. 175. Non Merca & Munach; sed Merca & Mahpach ibi reperiuntur.

S. LIX. In principio Cap. XIIIX. p. 174. docet Rbhiam sub Merca Mahpachato, Athnach & Rbhia Gereschato in membris minoribus distinguendis ponit. Quod vel falsum, vel obscurius, quam, ut discentibus prodeesse possit. Falsum est, si putat Rbhiam in minoribus h. e. immediatis illorum ordinarie ponit. Si extraordinarie id fieri innuit, verum id quidem, sed sic meminisse debebat, frustra ab illo anomala esse rejecta. Sivero de magno & majore hoc intelligi vult, etiam verum dicit. Cui vero hoc suboleat, cum non sit explicatum. Reperitur ergo & hic defectus. Minorem hujus Rhiae ponit in Tab. p. 174. Paser. Quod etiam valet de extraordinario: Verum non sufficit illud in genere affirmare, sed conditions, quae hic requiruntur, addendæ erant. Tum quoque imperfecta est hæc doctrina, quia minorem Psik cum Kadma omittit, cum tamen saepius, quam Paser adsit, adeoque pro ordinario merito agnoscendus; & quidem ex hypothesi ipsius hujus Artis, quæ per hoc argumentum probat p. 175. Rhiae servum ordinarium esse Merca (Quod desumptum ex Diacritica S. §. 340. 1. ubi adhuc aliud argumentum habetur pro illo Merca.) Quæ de duobus, tribus, quatuor servis scribit, ad ea breviter respondeo. In plerisque reperitur Psik cum Kadma vel mahpach, quos cum distinctivos statuat Cap. X. §. IX. p. 141. hic ad servilem fortem detrudere non potest, nisi & illis & suis hypothesibus injuriam facere velit. In reliquis vel

(59)

vel voces non construuntur & distinguendæ , vel etiam tales conceptus logici reperiuntur , quibus suam vim distinguendi tueri possunt. Ps. 50. 3. Ps. 68. 36. datur accentus duplex. De quo Vid. D. S. §. 270. x. p. 175. Ps. 49. 15. ex Mahpach Sarcato duos accentus facit , cum pro uno stent , ut sœpius in præcedentibus dictum . Sed fortasse Macceph impli- citum illi non fuit notum. De quo videri potest Diacrit. S. §. 262. sub Mahpach.

§. LIX. Error de Schalscheleth , quem Cap. XIX. repetit , jam' antea refutatus est. Quod de servis ejus addit , non uno modo deficit . 1) Multa diversi generis satis imperite miscet , nempe ea quæ Diacrit. S. Tab. Metr. A. 8. y. E. 8. N. 6. tradit. Qui hæc distincte non tractat oppido fallitur & fallit . Nam & hic valet illud per vulgatum : Qui bene distinguit , bene docet . 2) Conditiones , quibus hi servi ponuntur , hic , ut & alibi sœpius , defiderantur , sine quibus tamen discentes nihil cer- ti habent .

§. LX. Ad Cap. XX. notandum , quod 1.) Paser sub Rbhia gereschato non occurrat. De quo supra prolixius actum . 2.) Exempla non quadrent servis , quibus apponuntur . Ps. 32. 5. ponit unum , cum ex ejus hypothesi duo adsint . Ps. 65. 10. recte quidem unum ponit ; sed secundum ejus analysin , quam in præcedentibus capitibus vidimus , tres forent . Ps. 7. 6. Ps. 38. 13. vult tres adesse , cum tantum duo adsint . Sed hæc non urgeo , cum sphalmata typographica esse pos- sint . Quo etiam referri potest , quod Ps. 22. 25. bis ponitur . In reliquis est vel Psik. distinguens , vel voces non construuntur vel conceptus logici distincti distinctionem sustinent .

§. LXI. His molestiis defuncti venimus ad Cap. XXI. Ubi ponit peculiares quosdam modos observandos . Hinc nihil aliud sunt , nisi anomala , ex Diacrit. S. §. 69. & 210. mutuo petita . Si hæc observanda , cur antea toties anomalias , tanquam falsas , inutiles , noxias exsibilavit ? Sed de hac ma-

teria jam in superioribus dictum, unde non opus, ut hic aliquid addatur. §. III. p. 184. redit ad illa, quæ & antea inculcavit, quod vocum, in quibus plures servi concurrunt, nexus vel distinctio grammatica ex accentibus non posset cognosci. R. Hic distinguendum inter accentus, ut à D. A. & ut ab aliis tractantur. Qui ea via procedit, quam Ars Abichtiana monstrat, nunquam, neque à priori, neque à posteriori voces recte distinguere disset. Qui vero aliorum quorundam præcepta sequitur, felicius procedit; quamvis alii aliis expeditius sequentes ducant. Verum non dicam de aliis: Quid ex Diacrit. S. sperandum videamus. Sumamus exemplum à D. A. citatum ex Ps. 32. 2. זְהַשּׁוֹב תִּזְהַלֵּךְ Quærimus, quomodo sit distinguendum? R. jx. §. 190. in duo membra. Quod hic aptius fieri non potest, quamvis לְזֶה. Quia לְזֶה non construuntur, & duo illa membra aptos conceptus suggerunt: sicut enim actio & ejus objectum jx. D. S. §. 119. Membrum, quod actionem explicat, quia multarum vocum, etiam distinguitur. Quod sit in לְזֶה. Ratio eadem est, quia לְזֶה non construuntur & duo illa membra se respiciunt, ut actio & finis & D. S. §. 123. Restant reliqua tria vocabula, quæ distinguiri possunt, vel in נָא, ut actio insinuerit & ponatur D. S. §. 138. vel in בְּשָׂרָה. Sic habemus Prædicatum & Subiectum. Redit ergo hic res ad conjecturam D. S. §. 38. 39. Quia vero posteriores conceptus distinctius rem proponunt, illos merito retinemus. Distinctio ergo verborum hæc erit: Non imputat Dominus הַיְלִיל וְהַיְלִיל iniquitatem וְהַיְלִיל. Sic habemus נָא actum α) inse ubi a) Præd. b) Subjm. β) finaliter δ) Objm. Nunc videamus etiam interpunctionem & quidem à priori. In minore וְ Athnach laborantis est vel Munach vel Psik cum merca jx. Tab. Merr. C. 6. α. β. Sed Munach saepius adebet, unde & hic ponemus. Hic habet ordinarium Psik kadmatum jx. L. 5. vel extraordinarios, ut videre est sub L. 6. Hic sub Athnach potest esse Munach. jx. L. 6. β. Posset tamen hic etiam esse

esse Paser jx. L. 6. & Quem vero Spiritus S. posuerit, nemo infallibiliter dixerit. Hic ergo, & in similibus discere potest D. A. quam audax sit ejus effatum, quod habet Cap. I. §. XV. p. 18, circa finem, aut, si quid potest, dicat nobis, quem Spiritus s. posuerit & rationem addat. Sumanus interim Munach. Hic jx. Q. 6. a habet Munach superiorem cum servo Mahpach §. 351. Sic accentus, qui in Textu sunt, habemus. A posteriori, de quo hic præcipue quæstio, etiam facile distinctione videtur. Sub Athnach reperitur Munach, qui servus ordinarius esse non potest: quia י' non construuntur. Pertinet ergo ad C. 6. a. Est hic & aliud argumentum. Nempe, quando Munach in penultima τε Athnach alium munach habet, munach penultimæ semper distinguit. Qui hoc negat, proferat exempla in contrarium. Hic Munach ulterius explicatur sub L. Unde minores ejus ibi quærendi. Est vero hic Munach, qui nec hic servus esse potest: quia י' תְּנִינָה non constructa. Pertinet ergo ad L. 6. β. Hic Munach sub Q. suis minores exhibet, cumque hic sit Munach superior pertinebit ad Q. 6. a. Sic videmus distinctionem, tam a priori, quam posteriori accuratissime jx. Diacriticam S. fieri posse, ut nesciam, quid vel ipsa morositas hic desiderare possit. Idem judicandum de reliquis: Singula enim persequi molestam prolixitatem parit. Repte ergo statuimus servos plures concurrentes nexum & distinctionem vocum constituere posse. Si enim solam accelerandam lectionem indicarent, inutiles videri possent. Quia idem effici potuisset, si nulli accentus his vocibus appositi essent. Cum vero adsint, & quidem diversi, nec frustra positos esse credi possit, omnino distinctioni serviunt. Quod & res ipsa docet, ut vidimus.

§. LXII. Quæ Cap. XXII. habentur, quia præcedentibus nituntur, atque sic cum illis vel stant vel cadunt intacta relinquimus. Unum tamen monemus, ne Lectoribus hoc compen-

compendium dispendium afferat. P. 189. sub Karne parah ponit servum Munach, cum tamen ille sit Jerach, quem Cap. V. §. XIV. p. 75. posuerat. Utrum ergo sibi contradicatur; an vero typographi haec culpa sit, me latet. Mihi sufficit hoc monere, ut corrigi possit.

§. LXIII. Sequitur Cap. XXIII. in quo de abusu accentuum agit. Arrigamus igitur aures audituri quid artis se hic offerat §. I. p. 193. sic scribit: *Varius est abusus, quem ignorantia veri accentuum usus peperit, qui studiose est detegendus, ne Scriptura interpretes offendant, & sensum amplectantur, quem Accentuum autor Esra nunquam intendit.* R. Efram esse accentuum autorem, non tam certum est, ut de illo dubitari non possit. Cum sine accentibus genuinus SSram sensus haberit nequeat, sensus autem constitutus formam orationis, ille sine dubio accentus apposuit, qui SSram conformavit. Nisi credere velimus, illum nobis tradere voluisse materiam sine forma h. e. verborum cadaver. Abusum esse studiose detegendum, non negamus, utrum vero D. A. in detegendo illo & artem & fidem praestiterit, eruditiores judicent. Praecipue abusus ille cantillationis rejiciendus erat, si fideliter abusum monstrare voluisset. Sed de hoc nihil in hoc capite. In illis autemabusibus, quos monstrat, non satis artis adhibet, nec satis modestiae. Ignorantiae promiscue omnes accusat, qui non cum illo sentiunt. Putat alios ignorare verum usum. Quis ille? Hoc docet p. 199. *Autor accentuum tantum distinctam vocum lectionem accentibus docere voluit.* Quod supra se fuse probasse putet. R. Si illum tantum pro genuino usu habet, cur usum cantandi s. cantillandi supponit? Nam de illo in praecedentibus multa declamavit. Frustra ergo omnia illa adduxit, & per unam voculam tantum omnia, quae de cantillatione dixit irrita facit, adeoque & hic sibi contradicit. Si vero distinctivus ille usus est genuinus, cur alios promiscue ignorantiae accusat? Num quis eorum illum negat?

Non

Non autem tantum legere debemus ssram, sed illam etiam intelligere & meditari, juxta illud Salvatoris nostri Matth. 24. 15. ὁ ἀναγνώσκων νοεῖ τὸν. Hoc Christi præceptum fecuti quærimus & scrutamur singulis in locis, cur sic & non aliter distinxerit? Causam & rationem, quam invenimus, notamus. Hanc sive mysterium, sive Emphasim sive πάθος sive alio quodam nomine appellat, perinde fuerit. Quid hic peccati? Qui frustra aliquid in s. Codice dixerit positum, οὐδέποτε erit. Saniores hic Philosophi, quorum axioma notum: οὐδέποτε η φύσις ποιεῖ περίεργον. Si hoc de natura verum, quid de naturæ Autore dicemus? Num effectus nobilior est in operando, quam causa? Saniores judæi, qui docent, ne minimum quidem apicem esse in ssra, ex quo non magni montes dependent. Pag. 18. indignatur, quod nostræ hypotheses non respondeant antiquorum judæorum intentioni: Hic ubi illorum intentioni & quidem saniori respondent, etiam displaceamus. Nimis profecto morosus est, quamvis nondum sit senex, cuius ætatis hoc vitium esse solet. Sed nos nihilominus, etiam si alii id nolint, eam reverentiam ssræ exhibemus, ut nihil frustra ibi positum esse credamus. Quæremus devoto corde, Deoque dedito, quæ hujus vel illius distinctionis ratio. Quæ succurrunt, explicabimus: judicandi libertatem Lectori, meliora substituendi vero cuivis relinquemus. Si D. A. id falsum, inutile, noxiūm esse putat, monstret 1) An summa illa sapientia, omnisque sapientiæ autor aliquid in ssra frustra posuerit? 2) An non omnes illæ meditationes s. emphases in Diacritica s. explicatae sint fidei analogæ? 3) An non Textui & contextui quadrent? 4) An non ex fundamento illo, quod in Diacritica s. positum est, fluant. 5) An non fundamentum illud emphaseos ibi positum ssra nitatur? Sed fortasse hoc ultimum maxime impugnabit. Ego vero id affirmare possum, me nihil ibi posuisse, quod non in ssra fundetur. Quadraginta fere annos hæc puncta

puncta tracto. Multa millia exemplorum, quid ? totum s. Codicem non semel, sed saepius cum regulis meis contuli. Tandem ut eo certior essem, Concordantias Accentuum feci (Quas D. A. Lipsiae vidit, adeoque in dubium vocare nequit) Ut ita illæ inductione omnium exemplorum probari possint. Multi fortasse hos labores, quos non sine molestia, inter multas alias molestias & occupationes exantlavi, ridebunt, inutilesque clamabunt. Ego vero, cum tot accentuum hostes, atque quæstionem de illis, magni tamen momenti esse viderem, in memoriam mihi revocavi, illud Apostoli. Rom. 14. 5. ἐκαστος ἐν τῷ ιδίῳ νοῇ πληροφορεῖσθαι. Quilibet, de sententia sua persvasionis plenus fit. (Hac enim phrasii Suetonius vocem πληροφορεῖσθαι optime expressissime creditur.) Operæ ergo pretium esse duxi, tantum laboris huic rei impendere, ut aliquid certi haberem. Sic mihi quoque persvadeo, si D. A. plus laboris in hac re sumpserit, atque regulas illas, contra quas in hac sua Arte pugnat, cum s. Codice contulerit, illum multa, quæ nunc illi non sunt, perspicua (hoc enim fatetur in Dissertat. de Offic. Accent.) esse capturum. Quanquam quæ non capimus non statim omnia promiscue rejicere debemus. Fidei Articulos non capimus, num propterea rejicendi ? Qui scrutatur, meditatur & in scrutinio persistit, multa capit, quæ desides & delicati laborisque impatientes nunquam capient. Hæc præfari volui, quia sentio, hoc caput meis de Accentuatione emphatica hypothesisibus præcipue esse oppositum. Quod ex §. III. p. 200. satis patet. Sed etiam in eo ipso sibi contradicit. Nam ipse D. A. fatetur in Dissert. de Offic. Accent. celeriorem & tardiorem lectionem fieri propter latentes affectus. Et in hac ipse Arte statuit autorem Accentuum affectum Davidis exprimere voluisse. Pag. 124. Vocem majorem accentu insignem magna consideratione dignam esse. Pag. 126. vero audacter asserit, nos affectuum com motiones

(65)

motiones fingere. Argumentor: Aut datur accentuatio pa-
thetica & emphatica; aut non datur. Si non datur, cur
ille dicit affectus indicari & voces magna consideratione
dignas esse? Si datur, cur nos explodit, quando idem dici-
mus? Nescio, quibus affectibus D. A. occæcatus, ut non
videat, quid ipse statuat, & quid in aliis rejiciat.

S. LXIV. Sed longior sum, quam volebam. Ad rem.
Primus abusus est judæorum Cabbalistarum. Hos non
defendo, qui eundem abusum, sed alio exemplo in Diacrit.
S. §. 24. rejeci. Secundus abusus est M. J. H. Homilii, de
quo l. c. §. 21. 22. egi, unde nec opus est hic aliquid addere.
Tertius abusus, propter quem, ni fallor, hoc caput potissimum
insertum, est, si Deo placet, explicatio Es. IX. 5. quam
ante aliquot annos in lucem emisi. Sed nec ad illum hic
respondeo: quia in Dissertatione Antiabichtiana ea, quæ
in Dissertat. de Offic. Accent. adduxerat, in Vindicis loci
Esaiani vero ea, quæ hic recoquit & loco aromatis addit,
prostravi & conculcavi. Atque sic non opus esset, plura
de hoc capite addere, nisi singulare quoddam Artificium.
in S. II. p. 197. seq. deprehenderem. Sic enim scribit:
*abusum accentuum etiam observavi in Disputatione Homilii Anno
1671. habita. Qui cum Oraculum Jer. XXXI. 22. explicasset, tan-
dem etiam ostendit, que porismata ex Accentibus erui possint.*
Hujus excerpta quædam cum exhibuisset, tandem sic clau-
dit: *Hæc aliaque plura in allegata Disputatione leguntur. Quid
hic artis? inquires. Hactenus Philosophi putarunt, Non-
entis nulla esse prædicata. D. A. vero nobis hic Non-entis
contenta sifit, nempe excerpta ex Disputatione Homilii
Anno 1671. habita. Ego vero credo, hanc disputationem
nunquam fuisse habitam. Si vero illam habitam esse putat,
doceat nos, quo Præside, quo Respondente, quo loco,
quo tempore sit habita. Quæ nisi monstrata fuerint, hæc
Disputatio erit Non-ens, & nos Non-entis contenta hic legi-
mus.*

mus. Cum vero ex digitis, si Germanorum adagio uti licet,
 hæc non suixerit, quæres unde desumpta? Lege sis Diacrit.
 s. §. 21. & videbis unde desumpta. Tractatus vero, ex
 quo illa descripsi, non erat Disputatio habita; sed Scriptum
 a M. J. H. Homilio privatim elaboratum atque Lipsiæ edi-
 tum. Quem in finem prodierit, docet Titulus, qui hic
 est: *Oraculum Jer. XXXI. de Conceptione Messie juxta
 fontes Hebræos résolutum, Porismatibus f. usibus tum ex
 Doctrina Accentuationis, tum ex Textu ipso auctum, Con-
 scriptum, ut Reverendissimo Proto-Synedrio Electorali
 Saxonico exhibeat Speciminis loco a M. J. H. Homilio
 Herensdorpio-Misnico S. S. Theol. Stud. & Alumno Elect.
 Saxonico. Lipsia Literis Johannis Koleri. Anno
MDCLXXI. Ex hoc Titulo satis patet, Disputationem
 à D. A. citatam esse Non-Ens. Quid enim opus erat eodem
 anno Tractatum hunc edere, si Disputatio illa habita est,
 anno 1671. Disputatio illa habita Speciminis loco offerri po-
 tuisset. Sed, ut dixi, si Præsidem, Respondentem, locum
 diem Disputationis habitæ, vel potius ipsum Disputationis
 exemplar produxerit, credemus hanc Disputationem esse
 Eus reale. Hoc nisi fecerit, orbis eruditus putabit D. A.
 ne quidem Tractatum, cuius Titulum exhibeo, vidisse;
 sed ea, quæ hic habet, ex Diacrit. s. §. 21. in epitomen re-
 degisse. Si vero Tractatum illum vidi, tam negligenter
 legit, ut ne Titulum quidem recte adspexerit. Verbum
 Dei, & quæ ad illud pertinent, majore cura, majorique di-
 ligentia legi & considerari debebant.*

§. LXV. Tandem ea, quæ hactenus docuit, ad praxin
 confert & quidem Cap. XXIV. explicat Dicta prosaica;
 sed ita, ut non videam, quid methodus artis abichtianæ hic
 profit. Quædam horum examinare licuerit. D. A. suam
 tentaciam dixit: Ego, quid mihi videatur, exponam
 juxta

juxta Principia Diacriticæ §. §. 134. Lectoris esto judicium.
 וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים בְּשַׁת וְאַמֵּד וְאַתָּה תִּשְׁבֶּה D. A.
 Verba Gen. IV. 7. לְפָתַח חֲמָרָתְךָ וְאַלְיָרָתְךָ תִּמְשַׁל־כָּנוּ
 : בְּנֵי præficitur: Nonne si benefeceris (*sacrificium tuum*) | præ-
 rogativa tibi (*erit*) || Si vero non benefeceris (*sacrificium
*tuum**) || ad ostium | poenæ accubans (*es*) * præterea ad te |
 est obsequium ejus (*frarris tui*) || & tu | dominaberis in
 illum. Silluc. In hac versione aliquid displicet. 1.) Addit *sacri-
ficium tuum, quibus verbum וְתִשְׁבֶּה restringit ad certam
 speciem seu actum pietatis , cum hic nihil obstat, quo mi-
 nus cum B. Lutherò generaliter de toto pietatis curriculo
 accipiamus. Alias non vult, nos aliquid, quod in paſuco
 est, repetere; ille vero elonginquo accersit, quæ in hoc pa-
 ſuco non ſunt. Quod non opus, quando verba per ſe com-
 modum ſenſum firſtunt. 2.) Significationem propriam vocis
 וְתִשְׁבֶּה mutat in tropicam: Præterea quoque Ellipsis par-
 ticulae וְתִשְׁבֶּה statuat oportet. Quod fieri non debet , quam
 diu propria significatio & verba per ſe bonum ſenſum gi-
 gnunt. 3.) רְבָץ refert ad Kainum , cum à B. Lutherò aliis-
 que rectius ad peccatum referatur. Differentia generis non
 obſtat. Quis enim nescit Enallagen Generis ſæpe in Sacris
 occurrere? Nec fruſtrahic Maſculinum adhibetur. Notat
 enim vehementiam peccati ejusque motuum , q. homo
 tentatur & allicitur. 4.) Posterius hemiſtichium refertur
 ad Habelem , quod B. Lutherus refert ad peccatum : quia
 relativum rectius refertur ad propinquius, quam ad remo-
 tius, vel potius illud, quod in tota oratione Dei, quam v. 6.
 & 7. firſtunt, non reperitur. Hujus Versionem autem, non
 deferendam esse arbitror, quamdiu cum accentibus conſi-
 ſtit. 5.) Verba quoque, si B. Lutheri versionem sequimur,
 optimè cohærent. Est hic Adhortatio ad resistendum pec-
 cato. Ubi*

I) Argumentum s. <i>ratio</i> , respectu.		
{ boni, ubi [a] actus -	לֹא אָמַת חִיטֵּב	Nonne si benefeceris
[b] fructus -	שָׁנָת	prærogativa?
{ mali, ubi [a] actus [a] intimatur -	אָמַת לֹא חִיטֵּב	Si vero non benefeceris
[b] expl. [b]		
[b] effectus s. consequens		
{ adjunctive [a] -	לְפָתָח	ad ostium
[b] in se -	רְשָׁאָת רְבָץ	peccatum recubans eft?
II) Consecutarium s. <i>propositio</i> ubi.		
{ fundamentum [a] præd. -	אַלְיָדָךְ	Sed ad te
[b] ejusque [b] subj. -	תְּשֻׁקָּתוֹ	appetitus, appetitus
{ officium, ubi [a] subj. -	אַתָּה	inquam ejus:
[b] præd. -	מֶשְׁלָךְ :	Ergo Tu
		Domineris illi!

Phrasis רְכִץ חַטָּאתוֹ רְכִץ indicate, peccatum insidiari hominibus, quasi fur & prædo, ut illos, sive egreditantur, sive ingrediantur, capiat & perdat, hominesque impios ita facile ex uno peccato in aliud prolabi posse, idque eo magis, quia motus peccati sæpe vehementissimi sunt: *Quod* hic masculinum pro foemino positum indicat. Omne enim masculum robustius atque fortius est foemineo. *אלְיָד תְּשֻׁקָּתוֹ* vulnus hominem, in primis renatum, pravis concupiscentiæ motibus resistere posse, ne in peccata actualia erumpant. Sensus ergo verborum hic erit. Si pietatem colis Deumque sinceri cordis puritate adoras, acceptis es Deo, nec pietatis præmio carebis: Si vero in malitia & hypocrisi perseveras, ut hactenus fecisti, peccatum tibi insidiatur, ut facile in majora scelera prolabi possis. Sed perpende homines, in primis renatum, qualis videris, pravis concupiscentiæ motibus resistere posse, ne in graviora delicta præcipitentur, dummodo mediis hic necessariis utantur, nempe cum precibus sedula attentaque voluntatis divinæ meditatione. *Quod* cum ita sit, tu fac, ut peccati motibus, quamvis vehementissimi

tissimi saepe sint, resistas, nec illud dominari in corpore mortali permittas: Sed Tu potius illud subjuges, illique domineris, ne in gravia scelera erumpat, quale foret, si fratrem iratus occideres.

S. LXVI. Examinemus etiam locum Jud. V. 14. verba

Textus haec ibi sunt:

מִנְיָא אֲפֻרִים שַׁרְשֶׁם בְּעַמְלֵק אֲזֹרוֹד בְּנֵי מִןְיָן בְּעַמְפִיר מַנִּיכִיר יְרֹדוֹת מִלְקָקִים וּמוֹבָרָן מִשְׁכִּיבָת בְּשַׁבָּט סִפְרָה

Hic D. A. jure suo Clerici versionem, vel potius perversiō nem rejicit. Ipse vero sic vertit: (Quidam) ex Ephraimo || Cujus stirps (dominata est) in Amalek (sc. descenderunt ad bellum) || Post te (Epbraim) Benjamin cum populo tuo (O Ephraim descendit ad bellum) || Ex Machir || (ad Bellum) descenderunt magnates || & ex Sebulon legum periti. Silluci. Sed, si, quid sentio, dicere licet, nec haec placet. 1) Agit contra suas hypotheses & aliquid repetit. Fieri quidem aliquando id potest: Quod supra contra D. A. evicimus: Hie vero in priori hemistichio opus esse, non video. Illud vero 2.) nullo modo ferri potest, quod Textui aliena addit, nempe α) ab initio quidam, quod in Textu nec est, nec requiritur, cum Subjectum hujus propositionis sit שַׁרְשֶׁם. 3) Dominata est: cum in hoc pasuco non sit, nec ex praecedentibus commode repeatatur, nec quoque ex Historia S. probari possit, Ephraimitas dominatos fuisse Amalekitis. γ) Ad bellum. Cum illa vox nec in hoc pasuco, nec in praecedente reperiatur: Nec δ) hic significet descensum ad bellum, sed rectius cum B. Luther de origine & ortu accipiatur. De hoc si accipimus prius hemistichium, nihil opus est addere: Et si prius de illo, cur non etiam posterius? Deinde quoque satis pater, in posteriori hemistichio non tam de bello gesto, quam legisbus latis & Rpubl. bene administrata sermonem esse. 3) מִשְׁכִּיבָת שַׁבָּט סִפְרָה reddit: Legum periti. Verum enim vero מִשְׁךְ hic ductum, gubernationem, regimen significare rectius dicimus.

Quæ significatio etiam Cant. 1. 4. locum habet. משכני trahem h. e. duc, rege, gubernat. Nec 4) Difficultas, quæ hic est, tollitur. Non enim patet, quid sibi velint verba אֲחָרֵיךְ בְּנֵמִין בְּעַמִּיךְ Intelligentum hoc esse de rebus à Benjaminitis egregie gestis, non est dubium? Quodnam vero illud sit, in Historia S. non est perspicue explicatum. Dicam tamen quid sentiam. Describitur hic aliquid, quod Benjaminitæ fecerunt ductu Ephraimitarum. Hoc exinde clarum quia Ephraimitæ & Benjaminitæ in eodem hemisphærio cohærent. Unde necessario ~~ex~~ quædam inter illos. Hanc etiam vox אֲחָרֵיךְ indicat, quæ hic non tempus, sed locum, comitatum, societatem significat, ut Cant. 1. 4. Et particula בְּנֵי quæ optime hic propriam & usitatiorem significationem in retinet. Unde affixum יְהֹוָה ad nullum, nisi שֶׁ h. e. Principem & Ducem, cuius antea mentio facta, referri potest. Existimo itaque respici ad Exod. 17. 9. Ubi Moses jubet exercitum parari contra Amalekitas ducendum; non vero additur quinam aut quales in hoc exercitu fuerint. Unde colligere licebit, in illo exercitu fuisse Benjaminitarum catervam manu fortē & bello strenuam, cuius opera in prælio magni fuerit. Quid ergo si sic verterem? Ex Ephraim radix eorum contra Amalek: Post te (O Ephraim vel Josua ex Ephraim oriundus) erat Benjamin in populis (copiis) tuis: Ex Machir descenderunt legi latores, legi latores inquam: Ex Sebulon (NB. Sebulon, descenderunt) trahentes (h. e. regentes) stilo scribæ, Quod aliquid repetam D. A. mihi vitio vertere non poterit, cum id faciam ipsius exemplo, quædam etiam, quæ ipse repetiverat, repeatam. Sensus hic fuerit; Primus & præcipiuus, (Nam hoc per שֶׁ hic intelligitur) qui contra Amalekitas pugnavit illosque domuit, fuit ex Ephraim Oriundus Josua: Et te ô Josua Benjaminitarum strenua & bellicosa caterva in exercitu tuo sequebatur. Quamvis vero hæ tribus antea nobilitatæ sint factis, non tamen propterea via virtutis & glo-

& gloriæ reliquis tribibus clausa fuit: Nam Machir quoque & Sebulon, (Sebulon inquam, qui hactenus minus celebris fuit) sibi nominis celebritatem compararunt, cum ex illis quoque orti sint, qui Reipublicæ clavum tenuerunt, atque leges tulerunt, leges inquam, quod Magistratus est, tulerunt, quique non minus eruditi quam fortis rebus egregie gestis Reipublicæ præfuerunt & profuerunt. Accentus majores loco minorum, Domini loco servorum & insuper duplices hic optime verbis & rebus conveniunt. Res magnæ, res mirabiles, res memorabiles narrantur. His igitur tales Accentus, tanquam NB. adhibere voluit. Dispositio hæc erit. Pr. Laus Heroum temporis.

I) <i>Præteriti</i>	<i>ex</i> (n) <i>Ephraim</i> , ubi	{ a) origo	-	מִנְיָא אֲפֹרֶזּ
		{ b) facta	-	שְׁרַשְׁתָ' בְּעֵמֶלֶךְ
		{ c) Benjamin	-	אַחֲרֵי בְּנֵי נְזִירָה
			-	בְּעֵמֶלֶךְ
		{ d) adjunctive	-	מִנְיָא מִכְרָה
II) <i>Prefetni</i>	<i>ex</i> (n) <i>Manasse</i> , ubi	{ a) origo	-	יוֹרְדוֹי מַחְקְרַת
		{ b) facta	-	וּמִבְּלָלָן
		{ c) Sebulon, ubi	{ a) origo	מִשְׁכִּים
		{ b) facta, ubi	{ a) actus	בְּשַׁבְּטָ סְפָרָה
			{ b) mediū:	-

Hic videmus repetitiones illas, quas D. A. adhibet, non esse necessarias: cum sine illis commodum sensum habeamus: *Quamdiu vero commodus sensus adest, nunquam aliquid repetendum. Cur ergo B. Lutherum hic deseremus?*

§. LXVII. Reliqua prætereuntes, ne nimis prolixius, perpendamus locum Michæ V. 1, de quo §. XII. p. 257. agitur. Dignum enim est hoc Dictum accuratori consideratione: D. A. facit cum illis, qui interrogative hæc verba explicant. Quæ explicatio nunquam se mihi probavit. Sic enim addendum est aliiquid Textui, quod semper fugiendum, quam diu ipsa Textus verba commodum

dum sensum suggerunt, quem & hic reperiemus, du modo
 verbis recte attenderimus. Nec video, quid sibi velit
 illud **לִזְוֹרָה**: si oratio est interrogantis. Sic enim dixisset
אַשּׁוּר בְּאֶפְיוּ יְזֹוֹרָה. Sed D. A. putat, Accentus, utrum
 interrogatio poni possit, ostendere. Quomodo vero? Quia
 in **אַשּׁוּר** major accentus, qui, si interrogatio non esset,
 minor foret, R. Mirum, si hic non est abusus ad Cap. XXIII.
 referendus. Quero, num hoc universaliter fieri velit, an
 vero particulariter? Si particulariter, ratio reddenda erat, cur
 hic & non alibi major accentus interrogationem constituit?
 Quod ex Jud. XI. 9. affert, non sufficit. Primo enim ab
 uno particulari ad aliud N. U. C. Deinde quoque interro-
 gatio ibi non probatur ex magno accentu Sakeph magno
 in **אֲנָכִי** sed ex particula **וְ** quæ in priori hemistichio
 posita ad posterius repetenda. Si enim Ps. IV. 3.
 ex antecedentibus ad seqq. repeti potest, quod D. A. Cap.
 XVI. §. 1. p. 169. suo exempla probat, cur non hic
 repetiti posset? Si vero universaliter, multa absurdæ &
 contradictiones in s. Codice habebimus. Ponamus exem-
 plum ex Hag. 2. 6. **וְאַנְיֵ מְרֻעֵשׂ אֶת־הַשְׁמִים וְאֶת־אָרֶץ**
 : **וְאַנְיֵ מְרֻעֵשׂ אֶת־הַשְׁמִים וְאֶת־אָרֶץ**. Si magnus Accentus con-
 stituit interrogationem, prior propositio erit negans. Nam
 interrogatio affirmans æquipollit neganti: Posterior vero
 cum in **אֲנָכִי** sit servus, non constituit interrogationem, adeo-
 que affirmans erit. Sic in eodem capite habemus Spiritum
וְ sibi contradictem. Ego non commovebo cœlum &
 terram: Hanc suggerit interrogatio v. 6. Ego commovebo
 cœlum & terram: Hanc in terminis habemus v. 21. Quæ
 est formalis contradictionis. Quæ cum ita sint, hanc de ac-
 centibus majoribus observationem nullam esse videmus.
 Non tamen propterea Sakeph magnum in **אֲנָכִי** Jud. XI. 9.
 frustra ponitur. Nam indicat affectum Jephthæ mirantis
 Gileaditas nunc eum Principem constituere yelle, quem-
 antea

antea civem ferre non poterant. Sed regeret aliquis, sic optime Matthæum conciliari Michæ. R. Ad locorum conciliationes non sunt falsæ hypotheses fingendæ aut defendendæ, ne Cartesii methodum ex Philosophia in Theologiam transferamus; sed ex ipsis Textus visceribus eruenda est conciliatio. Quod & hic facile fiet. Sumamus hanc versionem: Et te Bethlehem Ephratha, quod concerrit. (Nam Subjm. hic in sensu diviso ponitur Vid. Diacrit. s. §. 140. & Wasmuth I. ibi citato. Conf. Sennert. Idiotism. Can. LXXIX & qui ibi citantur.) Parum, esse in millibus (l. Ducibus) Judæ: Ex te mihi prodibit ad esse Dominum (h. e. qui sit Dominus) in Israel &c. Hæc versio non pugnat cum verbis Matthæi. Matthæus suam Thesin ex Prophetæ verbis per bonam consequentiam elicit, adeoque sensum horum verborum non formalem, sed virtualem sistit. Illustrabo rem exemplo simili. Rex vel Princeps dicit Titio: Parum est te esse civem hujus urbis: Ego te, consulem constituam. Sempronius hæc audiens dicit Cajo: Titius nequaquam est minimus inter cives. Catus hoc in dubium vocat. Argumentatur ergo: Qui Consul erit, nequaquam est minimus in civitate: Titius est ille, qui Consul erit: E. Titius nequaquam est minimus inter cives. Eodem modo argumentatur Matthæus, vel potius Doctores & Professores Hierosolymitani: Quæ urbs erit patriæ Messiæ, nequaquam est minima in Ducibus Judæ: Bethlehem est illa urbs, quæ Messiæ patria erit: E. Bethlehem Ephratha nequaquam est minima inter Duces Judæ. Major est clara. Minor est Michæ: Conclusio est ipsa thesis Matthæi vel potius Sacerdotum & Legisperitorum. Ex quibus videamus, inter verba Michæ & Matthæi nullam esse pugnam. Accentus in voce יְהוּנָה est notandus. Ponitur minor loco magni. Quod aptum rebus. Bethlehem magni

magni erat in oculis Dei, unde etiam ab hominibus magni facienda erat. Sed homines, ut solent, magis oculorum, quam veritatis judicium secuti oppidum illud parvi putabant. Addamus dispositionem elegantissimi hujus loci.
Pr. Descriptio Messiae ~~de~~ respectu naturæ.

D) Humanæ, ubi

- | | | | | |
|--------------------|--------------------|--|----------------------------------|---|
| N) <i>θέσις</i> | (α) terminative f. | (a) ponitur
cui dicta (b) exponitur -
(β) in se, ejusq; | (a) Prædicatum
(b) Subjunctum | בכחת-לְחֵם אֲפָרָתָה -
צַעֲרָה
לְהֻתָּה -
בְּאַלְפִּי וְהֹרָה -
מִמְּךָ |
| C) <i>narratio</i> | (α) posita | (a) terminative
(b) in se | (a) actus
(b) objm. | לְוַצֵּא
לְהֻתָּה מֶשֶׁל
בִּישָׂרָאֵל |
| D) <i>Divisio</i> | (N) posita | - | - | מוֹצָא וְתוּ מִקְרָם |
| C) | exposita | - | - | מִימִינֵי מַעֲלוֹת : |

II) Divine (N) posita

Paraphrasis. Postquam de tempore N. T. in genere, quædam dixi, ad te me convertam ô Bethlehem Ephratha. Te vero quod attinet, non est, quod te reliquæ tribus Judæ urbes contemnant, aut parvi pendant. Si quid dignitatis & prærogativæ in eo, quod fint inter urbes Judæ, quarum plurimæ sunt, nec tibi hæc dignitas & prærogativa dubia reddi debet. Sed profecto parum est illud, quod tibi cum multis commune. Tua dignitas tuaque prærogativa excellentior est omni aliorum decore & honore tibique soli reservata, nempe, quod futura sis patria Messiæ, qui Dominus est, non solum tribus Judæ: sed & totius populi Israëlitici tam spiritu, quam carne talis. Hæc dignitas tanto major est, quanto major erit, qui ex te prodibit: Non enim

enim tantum homo erit, qualem esse ex eo facile colligis,
quod ex te oriundus: Hoc enim non nisi secundum Hu-
manam Naturam fieri potest: Sed erit etiam Deus æter-
nus, siquidem exitus ejus ab antiquitate. Quod non in-
telligendum de finita quadam & temporali antiquitat,
sed de tali, quæ omnes seculorum dies præcessit, adeoque
æterna est & infinita.

§. LXIX. Ne Cap. XXV. plane neglexisse videa-
mur, quædam etiam ex dictis metricis, quæ ibi explicat,
examinemus. Verba Job. XX. 17. אָלַי־רִוְתָא בְּפָלוֹת :
׃ Vulgatus vertit: Non videat rivulos fluminis torrentis mellis & butyri. Hanc versio-
nen D. A. rejicit. Nec immerito: Quia accentus & vo-
cum constructionem negligit. Ipse hanc dat: Non videbit
rivulos, flumina vallium mellis & tremoris lactis. Hæc
vero alio morbo laborat. פָלוֹת non recte vertitur per
Rivulos. Buxtorffius in Lexico Biblico quidem hanc signi-
ficationem agnoscit. Non autem video, quid nos cogat,
hic aliam significationem statuere, quam Jud. V. 15. Cum
illa hic multo commodius adhibeatur. Nec est, quod D. A.
ad פָלוֹת provocet. Quis enim nescit, voces, quæ eadem
sunt origine, sæpe diversas esse significatione? Significat
vero hæc vox partem, seu portionem, quæ ex divisione
rerum obtigit. Unde non incommode verti potest: Her-
ditas, tribus, vel etiam regio, ut D. A. Cap. XXIV. §. IV.
p. 222. vertit. Deinde quoque particula נ negligitur, quæ
ut non frustra posita, sic in versione quoque exprimenda
erat. Nec illud placet, quod omnia, quæ verbum נ
sequuntur, pro objecto hujus verbi habent, cum tamen per
Athnach separantur. Sic enim anomalia hic statuenda,
quam tamen alias D. A. aversatur. Nec est illa sine causa
statu-

statuenda. Mutaretur sic quoque constructio eorum, quæ idem verbum respicere creduntur. Nam si ב in פְלִזּוֹרָה est objecti, quæri potest, cur illud non etiam voci נַחֲרֵי præponatur? Quia autem constructionem mutatam videamus & Athnachum vocabula separare, merito etiam diversos conceptus indicari credimus, quam diu commodos conceptus se offerre videmus. Vertamus ergo ita, juxta Accentus: Non videbit in portione (hereditate, regione sc. sua vel etiam in qua habitat) Flumina vallium mellis & butyri. Per phrasim נַחֲרֵי נֶחָלָה וּבָשׂ וּמִזְמָא indicatur idem, quod alias per אֶרֶץ וּבָשׂ וּמִזְמָא quæ sæpius in s. Literis occurrit & denotat magnam terræ fertilitatem, uberemque omnium rerum ad victimum pertinentium copiam. Hæc versio conceptus dispositioni aptissimos suggerit. Pr. Negata impiorum felicitas, sistit

- I) Actum ab adjuncto amplificatum.
- II) Objectum[A] generalius positum.
- III) [B] specialius explicatum.

§. LXIX. Consideremus etiam locum Ps. L. 23. de quo §. VII. p. 300. D. A. agit. Interpretes hic in diversum abeunt, ut videre est apud Geierum & Polum. Vulgarum D. A. rejicit. Nec id sine causa. Ipse dat hanc: Sacrificans confessionem | honoret me: (Merca Mahpachatus) & qui disponit viam, (Atnach) ei monstrabo| salutem, Dei. Silluc. Cujus παρέφασις hæc est: Qui mihi confiteri, cultumque mihi gratum exhibere vult, ille honoret me: & qui recte disponit viam suam, ei conspiciendam præbabo salutem meam. Liceat & mihi meam versionem & explicationem addere. Sacrificans laudem honorat me (ubi B. Lutherum sequor) Et disponentem viam quod attinet, monstrabo

strabo illi salutem Dei. Nisi enim prima verba posterioris hemistichij in sensu diviso accipienda essent, non adhibuisset affixum in verbo אֶרְאָנוּ. Sensus enim sine hoc constaret, si dixisset: וְשֵׁם דָּרָךְ אֶרְאָהָה יְשֻׁעָה אֱלֹהִים: vel etiam particulaמְנַחָּה participio præposuisset, quam alias hoc verbum in Hiphel adhibet. Hæc elegantia exaggerat rem & notabilem proponit, quod nempe cultus realis longe præstans sit verbali. Sensus igitur hic foret: Qui me meaque beneficia laudat & celebrat, debitum mihi honorem tribuit. Quamvis vero hoc necessarium & justum, requiruntur tamen adhuc alia: nempe, ut non solum ore me celebret & confiteatur, more hypocritarum, de quibus v. 16. sed vitam corrigat moresque & facta sua ad normam verbi divini componat, ne similis sit illis, de quibus v. 17. seqq. Hoc, Hoc qui facit, meque verbis & factis colit non sine suo commodo hoc fecerit: Nam ostendam illi salutem Dei. Sic ego existimo, Lectoris esto Judicium. Dispositio juxta, ea, quæ dicta sunt, hæc erit. Pr. Pietatis officium.

I) Verbale, ubi [א) Subjm. ב) Præd.	-	-	זְכַח תּוֹרָה יכְּבָרְנִי
II) Reale, ubi [א) actus. ב) fructus. [א) in se. ב) objective.	-	-	וְשֵׁם דָּרָךְ אֶרְאָנוּ : בְּיְשֻׁעָה אֱלֹהִים :

§. LXX. Sed hic finis esto. Quæ omissa sunt, ad illa alibi vel respondi, vel, si DEus voluerit, respondebo. L. B. rogatum volo, ut hæc omnia sine præjudicio & ἀπερισταλήπτως legat & examinet, nec tam autoritates, quam rationes sequatur. Si quædam repetita viderintur, ne moleste ferat. D. A. idem locis diversis inculcat, unde & sæpe idem illi respondere coactus sum. Et quoniam

sæpe contra suas hypotheses agit, non potui non, sæpe, etiam ad eas illum revocare. D. A. autem rogo, ut hæc accuratius & *ἀνεπιπλέοντα* perpendat, atque si erravi (Homo sum) solidis argumentis in viam reducat: Si vero ipse erravit (Homo est) veritati cedat, ne tam gloriae Dei & utilitati proximi, quam suis hypothesis servire videatur. Deus vero omnis boni autor nobis omnibus hanc mentem det, ut ea, quæ Dei gloriam & Ecclesiæ commodum promovent, semper meditemur, loquamur, scribamus & agamus. S. D. S. G. S.



INDEX.

INDEX.

Locorum SS. hic citatorum.

Gen. c. IV.	v. 7. §. 65.	XLI.	v. 20.	-	30.
	8. 9. - 23.	XLV.	i.	-	26.
V.	4. 7. IO. 25.	Jer.	v.	17. §.	42.
	26. - 42.	Ez.	XXV.	27.	- 42.
IIX.	21. - 22.	Mich.	XII.	12.	- 30.
XI.	9. - 42.	Hag.	V.	i.	- 67.
XX.	13. - 42.	Pf.	II.	6. 21. 42. 67.	
XXI.	4. - 42.		II.	7.	- 51.
	31. - 42.		III.	3. 5.	- 55.
XXII.	19. - 44.		IV.	3.	- 56.
XXXI.	13. - 8.		XIII.	2.	- 55.
Exod.	XVII.		XIV.	i.	- 56.
	9. - 66.			5.	- 51.
Levit.	XXIV.			XIX.	i. - 53.
	14. - 38.				2. and 54. 55.
Num.	XIX.			XXV.	i. 45. 52.
	21. - 39.			XXII.	8. - 55.
Jos.	XXV.			XXX.	i. - 54.
	ult. - 36.			XXXI.	3. - 53.
	II.			XXXII.	2. - 61.
	5. - 39.			XXXVII.	i. - 51.
	XII.			XLII.	5. - 50.
Jud.	V.			XLV.	8. - 51.
	14. - 66.			L.	23. - 69.
	15. - 68.			LIV.	8. - 55.
	VII.				12. - 56.
	3. - 38.			LV.	6. - 53.
	XI.			LIX.	3. 45. 52.
1. Sam.	V.				LXV.
2. Sam.	XII.				
1. Reg.	I.				
	6. - 7.				
	XVI.				
	18. - 50.				
Ez.	IX.				
	5. - 4.				
	XIV.				
	15. - 8.				
	XL.				
	13. - 25.				
		Pf.			

LXV.	2.	-	51.	CXXXIX.	I.	-	51.		
LXVI.	20.	-	52.	CXL.	6.	-	55.		
LXVII.	5.	-	53.	CXLVI.	I.	-	54. 52.		
LXIX.	15.	-	52.	Prov.	I.	9.	-	51.	
LXXII.	3.	-	51.				10.	-	45. 52.
LXXXIX.	24. 27.	-	51.	VI.	27.	-	51.		
LXXXI.	I.	-	55.	IX.	13.	-	55.		
XCV.	7. 8.	-	49.	Job.	VI.	19.	-	39.	
CII.	5.	-	51.	XX.	17.	-	68.		
CIX.	16.	-	51.	Cant.	I.	4.	-	66.	
CXIX.	52.	-	53.	Esth.	VII.	8.	-	28.	
CXXV.	3.	-	54.	Est.	III.	12.	-	41.	
CXXXVI.	15.	-	51.	z. Chron.	XXIV.	3.	-	42.	
CXXXVII.	9.	-	51.	Ebr.	III.	15.	-	49.	

L. B.

Cum nullus liber hactenus sine erratis prodierit, ne molestie
feras, rogo, & hic quedam irrepisse. Si ergo litera omissa,
vel addita vel mutata vel transposita vel inversa, pro tuo can-
dore & benevolentia corrigere velis.




Be. 3261.
8°



VDM

M





ARTIFICIUM ARTIS ABICH- TIANÆ,

h. e.

Defectus, errores & contradictiones Artis distincte legendi & interpretandi S. U. T. quam Tit. J. G. ABICHTIUS, S. S. Theol. D. & S. L. Prof. Publ. Ord. in Academia Lipsiensi edidit. Quæ dum deteguntur, multa Dicta S. Scripturæ secundum Accentus resolvuntur & explicantur, quædam atiam vindicantur,

Ad

Defensionem eorum, quæ ex Diacritica S.
impugnantur & Usu Studiosorum
Accentuationis,

Ut

SUPPLEMENTUM DIACRITICÆ S.

esse possit

Editum

à

JOAN. FRANK, Meklenburg.

Impensis J. H. RUSWORMII, Bibliopolæ
Rostochiensis. 1713.